47389/B
F.X.W.
18



I. BAKER HOLROYD ESQ.

Sheffield Place Suſsex.

Scarce & Curious
14/-
C428

38682

U. U.

Hodgson 30/12/46 7/-

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b3050952x

386-82

GYNÆCOLOGIA
HISTORICO - MEDICA
HOC EST
CONGRESSUS MULIEBRIS
CONSIDERATIO
PHYSICO - MEDICO - FORENSIS
QUA
UTRIUSQUE SEXUS
SALACITAS ET CASTITAS
DEINDE
COITUS IPSE EJUSQUE
VOLUPTAS
ET VARIA CIRCA HUNC ACTUM OCCURRENTIA
NEC NON
COITUS OB ATRESIAM SEU VAGINÆ UTERINÆ IMPERFORATIONEM ET ALIAS CAUSAS IMPEDITUS ET DENEGATUS, ITEM NEFANDUS ET SODOMITICUS
RARIS OBSERVATIONIBUS ET ALIQUOT CASIBUS MEDICO-FORENSIBUS EXHIBENTUR

A
D. MARTINO SCHURIGIO,
PHYSICO DRESDENSI.

DRESDÆ & LIPSIÆ,
IN OFFICINA LIBRARIA HEKELIANA,
M. DCC. XXX.

38692

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

PRÆFATIUNCULA.

POſtquam puellæ ſeu Virgines, de quibus in nupero Tractatu de Parthenologia egimus, tam ratione Pubertatis, quam Menſtruationis perfectionem ſuam acquiſiverunt, indies naturali inſtinctu ſalaciores evadunt ſuumque appetitum Venereum, niſi per Dei gratiam & omnium Virtutum Reginam, Caſtitatem ſcilicet, eidem fortiter reſiſtant, unico Voluptatis remedio, congreſſu nimirum cum mare, ſeu coitu ſive licito, ſive illicito, ſedare exoptant atque deſiderant; quapropter, ut meo in Parthenologiæ præfatiuncula dato promiſſo ſatisfaciam, in præſenti Tractatu, ſub nomine Gynæcologiæ, feminarum congreſſum ſeu marium admiſſum proponere decrevi, in cujus prima Sectione tam marium, quam feminarum ſalacitatem atque furorem uterinum, dehinc etiam utriusque ſexus laudabilem caſtitatem atque pudicitiam, tanquam illi vitio e diametro contrariam virtutem variis & raris exemplis explicabo.

Secunda vero Sectio primariam hujus Tractatus materiam, Congreſſum ſcilicet mulierum & varia huc pertinentia continens ſeptem Capitibus abſolvitur, quorum primum de Coitus voluptate, hujusque cauſa & gradu, cum quæſtione, utrum mas an femina majorem in cohabitatione ſentiat voluptatem? item de virginum ante nuptias coitu licito, & an Virgo tempore menſtruationis coitum admit-

tens virgo maneat, ſive an Virginitas actu venereo totaliter perdatur? ut & de cohæſionis in coitu poſſibilitate & cauſa; nec non de coitus moderati uſu medico & immoderati noxa & morte agit. Secundum Caput Coitum ob Atreſiam ſeu vaginæ uterinæ obſtructionem vel imperforationem impeditum, item atretarum ingravidationem, matrimonium, divortium & præcedentem Inſpectionem, conceptionem & curam variis exemplis & Relationibus proponit. Alia porro ab uteri prolapſu & aliis ejusdem morbis dependentia Coitus impedimenta cum certi Caſus & divortii relatione ob oculos ſiſtit Caput tertium; quartum vero Coitum, ob virorum ſalacitatem membrique virilis nimiam craſſitiem, item ob averſionem vel odium conjugum ab uxoribus denegatum cum Relatione & Caſu Juridico communicat. Quintum Caput Coitus violenti ſeu ſtupri differentiam, poſſibilitatem, exempla, ſigna, pœnam exhibet. De ſtupratione vero in ſomno, ejusque poſſibilitate, exemplis variis cum Facultatum Medicarum Reſponſis atque Juris Conſultorum deductionibus varia ex Actis publicis collecta in Capite Sexto reperiuntur; Et denique in Capite Septimo Coitus nefandus ſeu ſodomiticus, v. g. feminarum cum feminis, mulierum æque ac virorum cum brutis & perſonis peſte infectis, cum Cadaveribus, cum Dæmone, ſtatuis &c. commiſſus, taliterque delinquentium pœna, item Sodomia cum Baal Peor & Peccatum Onaniticum huic Tractatui finem imponit.

GYNÆ-

GYNÆCOLOGIÆ
SECTIO I.
De Salacitate & Caſtitate.
CAPUT I.
De Salacitate & Furore uterino.

§. 1.

QUo propius puellæ pubertatis ac menſtruationis, de *Salacitas.* quibus in Parthenologia noſtra egimus, ætatem attingunt, eo magis magisque uri ſeu prurire, ſalaciores evadere, ſtimulos venereos ſentire mariumque amplexus appetere ac quærere incipiunt. Quæ ſalacitas, ſive con- *Definitio.* tinuus vel frequentior pruritus vehemensque veneris deſiderium, quamvis maribus cum feminis communis ſit, frequentius tamen has præ illis, & quidem interdum adeo corripere ſolet, ut, quando ipſarum deſiderium expleri nequit, ad turpia ſæpius facinora atque furorem uterinum ſeu nymphomaniam dictum, easdem adigat. Vel juxta verba Chriſtiani Johannis Langii, *Prax. med. cap.* 24. §. 15. *Oper. Part. II. fol.* 169. feminarum immoderatus veneris appetitus in quibusdam tantus eſt, ut omnibus pudicitiæ fractis repagulis turpiter ſe non modo cuivis ſolicitanti ſupponant, ſed invitis etiam, nunc laſcivis geſtibus ac verbis, nunc aliis illecebris ultro ſe offerant; aſt nunquam, nec ab innumero virorum compreſſu libidinis extinctas faces ſen-

A tiant,

tiant, adeo ut jurares, has eſſe de Meſſalinæ turpiſſimæ Imperatricis proſapia, quæ, juxta poetam,

- - reſupina jacens multorum abſorbuit ictus,
Et laſſata viris nec tum ſatiata receſſit.

Quid, quod ſi voti compotes haud reddantur, beſtiarum ad inſtar, præ veneris œſtro rabidarum, in furorem vertuntur, nihilque aliud cogitant vel loquuntur, niſi laſciva & turpisſima, tandemque, ni probe cuſtodiantur, eo deſperationis veniunt, ut violentam mortem ſibimet ipſis inferant. Quam difficilis autem curationis & correctionis ſalacitas talis vel impudicitia ſit, docet Franciſcus Petrarcha *de Remed. utriusque fortun. Lib. 2. Dialog. 23. de filia impudica p. m.* 424. præcipitem, inquiens, in libidinem animum frenare, difficile eſt valde, &, niſi Deus ipſe manum adhibeat, impoſſibile homini. Tantus eſt enim impetus tamque effrenis, ut contra eum fruſtra ſæpenumero parentes, fruſtra & fratres, fruſtra etiam ipſe vir laboret: neque id mirum, cum ſit ſcriptum: aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det. Neve hinc pudicitiæ excuſatio ulla ſit, dat hoc Deus pia fide poſcentibus, quod in ſe eſt, annitentibus ac ſcientibus, cujus ſit hoc donum, riteque & ipſum æſtimantibus, & autorem.

§. 2.

Salacitatis ſedes in clitoride.

Sedem ſuam ſalacitas hæc ſeu venereus mulierum appetitus ſecundum plerosque autores in clitoride habet, unde quoque absque dubio Græci a nomine κλειτορὶς verbum κλειτορίζειν derivant, quod laſcivire, vel clitoride ſæpius contrectata laſciviam venerisque orgasmum excitare, vel ſceleſtum illum mulierum inter ſe congreſſum, ſeu tribadismum, ut ita dicam, & confricationes committere ſignificat, uti *in Muliebr. noſtr. Sect. II.* §. 4. *&* 9. diximus. Hinc juxta Reald. Columbum *de Re anatom. Lib.* II. *cap.* 16. *p. m.* 447. *ſeq.* clitoris eſt ſedes delectationis mulierum, dum venerem exercent, quam non modo, ſi mentula fricabis, ſed vel minimo digito attrectabis, ocius aura ſemen hac atque illac præ voluptate, vel illis invitis, profluet. Hanc

ean-

eandem uteri partem, dum venerem appetunt mulieres & tanquam œſtro percitæ virum appetunt, ad libidinem concitatæ, ſi attinges, duriuſculam & oblongam redditam eſſe comperies, adeo ut neſcio quam virilis mentulæ ſpeciem præ ſe ferat. Et ſecundum Joh. Riolan. *Anthropograph. Lib.* 2. *cap.* 35. *fol. m.* 188. clitoridem amoris dulcedinem & libidinis ſedem ac irritamentum eſſe volunt, quæ perfricata torpentem excitat venerem. Hinc dicitur etiam tentigo & œſtrum veneris, magnaque ipſi delectationis pars in congresſibus adſcribitur; & ſi blande pulpoſis digitorum apicibus tractetur in iis, quæ pruriunt, non ſolum voluptas quædam excitari, ſed etiam ſemen moveri poteſt. Sic Emanuel Kœnig *Regn. anim. Sect.* 1. *Art.* 22. *p.* 133. inquit: foramen urethræ eſt ſub clitoride ex duobus cruribus, ab oſſe pubis exortis conſtante, corporibus itidem duobus nervoſis ſpongioſis & capite ſubrotundo, præputio tecto pro libidine exſuſcitanda, ceu pro deliciarum venerearum illecebris ipſa vagina ſeu collum uteri rugas plurimas & fibras muſculoſas, quibus & nymphæ quoque & labia donantur, fovet adeo ut ad voluptatem veneream natura, ſuæ immortalitatis provida, nihil omnino omiſerit, ipſaque per ſe fortius ad amorem invitet, quam poeta Italus Guarini, libello iſto, Paſtor fido, item Iſacus Voſſius Aloyſia Sigæa, titulum ferente, nusquam ſatis præſtitit. Et Michael Ettmullerus *Oper. Tom. II. fol. m.* 1041. *ſeq.* ad quæſtionem, in quonam venereus mulierum appetitus conſiſtat? aut quomodo fiat illa titillatio, ſeu pruritus ſeu delectatio, quem mulieres in congreſſu experiuntur? ita reſpondet: Teſtes hic eſſe inſontes, certum eſt, qualecunque etiam ſit eorum officium: Nam hi ipſi ſunt inſenſiles, non ſecus ac in viris; unde iidem ad venerem minus laceſſere poterunt: Nec uterus ipſe ejusque vagina ceu partes membranoſæ hic incuſandæ, in quibus ſenſum nullum, aut non adeo ſingularem, neque ante, neque in coitu percipiunt feminæ, niſi interdum immenſus dolor in quibusdam affectibus easdem partes corripiat. Potius id, quod in congreſſu voluptate

venerea afficitur, eſt etiam id, cujus titillationis quodam ſtimulo in appetitum venereum ruunt feminæ, & hoc ipſum primario eſt clitoris, pars peni virili analoga; hujus enim tenſi ac inſtar penis parvi erecti frictione in actu venereo mire delectantur feminæ, adeo ut affluentibus hinc cum ſanguine per arterias & nervos ſpiritibus animalibus liquor genitalis, tam in proſtatis glandoloſis, quam in glanduloſa textura vaginæ turgeſcens cum ſumma voluptate erumpat. Cujus orgasmo ut venerea voluptas ſumme augetur, ita hujus eruptione, non ſecus ac in viris, etiam poſtmodum ceſſat titillatio venerea. Appetitus ergo & deſiderium veneris fit, quando materia ſeminalis præciſe in proſtatis glandoſis & glandulis vaginæ impenſius turgeſcit, ut clitoris exinde tendatur & erigatur, unde ſingularis iſtarum partium ſenſus, & quaſi obſcura titillatio emergit, quæ non ſecus ac in ſexu maſculino, coitum urget, in ſalacibus etiam ſatyriaſin efficit. Senſus ergo appetitus hæret in clitoride, ratione cujus feminæ etiam poſſunt exercere & imitari coitus venereos.

§. 3.

an in renibus? Alii vero autores ſalacitatis ſcaturiginem non ſine ratione in renibus quærunt, reique venereæ cupiditates quodammodo ibidem reſidere, autoritate ſcripturæ v.g. *Pſalm VII, v.* 10. *XVI. v.* 7. *XXVI. v.* 2. *& Pſ. LXXIII. v.* 21. item Proverb. *Cap. XXIII. v.* 16. *&c.* defendunt, & quidem tam in feminis, quam viris, ſiquidem de hac materia Roſinus Lentilius occaſione anatomes mulieris ſalaciſſimæ, in qua per multos annos aſthmatica, tandemque hydrope defuncta, renes ſupra modum & modulum longe maximas deprehenderat, Ephemerid. Acad. Nat. Curioſ. *Cent.* 1. *&* 2. *Obſ.* 168. *Schol. p.* 344. *ſeqq.* prolixe tractat. Renes ad aliquot librarum pondus vidit Johannes Scultetus in femina Patavina, formoſiſſima quidem, ſed ob veneris flagitia a marito ſuo adultera deprehenſa atque fuſte ad nucham interfecta. v. Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib.* 3. *Sect.* 34. *fol.* 1341. Huc referri etiam poſſet femina nobilis, quæ ex commixtione vene-

venerea ſæpius renum dolore laborabat, vid. Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib.* 1. *Tr.* 3. *cap.* 8. *p.* 67. Et Nicolaus Venette *de la Generat. de l'Homme Part.* 2. *Cap.* 4. *Art.* 1. *p.m.* 156. de juvene laſcivo ita ſcribit: Ses reins, où l'ecriture met le ſiege de la concupiſcence ſont ſi chauds, qu'ils s'inflemment les parties voiſines, la chaleur dilate les vaiſſeaux ſpermatiques, & y fait auſſi couler la ſemence plus abondamment. Renes ad libidinem conferre, dum incaleſcunt, fatetur etiam Johannes Riolanus *Antropograph. Lib.* 2. *Cap.* 26. *fol. m.* 147. Et Philippus Salmuth inſignis cujusdam venerei renes adeo magnos, ut ternos, imo quaternos alios humanos æquarent, ſe obſervaſſe ſcribit *Obſ. Med. Cent.* 1. *Obſ.* 23. *p.* 16. Non autem viri tantum Romæ olim in regione renum flagris ad illicitas voluptates & intempeſtivas excitabantur, ſed & feminæ flagellis incitabantur & incaleſcebant, ut facilius conciperent, juxta Thom. Bartholin. *de Flagror. Uſu med. p.* 21. *ſeq.* Quæ tamen materia potius ad cauſas ſalacitatis pertinet, vid. etiam Spermatolog. noſtr. *Cap.* 5. §. 21. *p.* 253. *ſeq.* De quodam, qui quo pluribus afficeretur plagis, eo impetuoſius ac ardentius in concubitum præceps ferebatur, proinde precibus flagellari expoſcebat, v. Rod. a Caſtr. *de Nat. Mulier. Lib.* 3. *Cap.* 4. *p.* 113.

§. 4.

Cum autem, ſecundum pleroſque autores, renes tantummodo ſint officina ſecretoria ſeri urinoſi, clitoris etiam absque ſpirituum influxu nec moveatur nec erigatur, multo minus de grato objecto absque viſu judicare poſſit; mea quidem ſententia ſalacitatis ſive voluptatis venereæ, ſimiliter, ut reliquorum ſenſuum, ſedes non in clitoride, nec renibus, ſed potius in cerebro & imaginatione ſeu phantaſia virginum, imo utriusque ſexus quærenda videtur, a quo poſtmodum, mediante orgasmo ſeu citatiore ſanguinis atque ſpirituum motu, non ſoli clitoridi, ſed aliis etiam partibus, uti tunc temporis ex oculis, loquela ſeu verbis, geſtibus & actionibus apparet, abunde communicari, *Cauſa.*

atque per crebriorem reminiſcentiam indies augeri poteſt. Ut adeo mirum non ſit, ſi inter reliquas partes clitoris a majori & frequentiori ſpirituum actione atque humorum affluxu, accedente inprimis horum acrimonia vel ſalſedine, atque ſtagnatione, majorem titillationem atque ſalacitatem ſentiat, inque majorem quandoque molem increſcat; pariter uti in ſatyriaſi & priapiſmo ſalacitatem virilem non a pene rigido, ſed potius mentulam rigidam a ſalacitate, & extraordinario ſpirituum & ſanguinis acrioris affluxu, tanquam cauſa, dependere judicamus. Quod confirmat etiam Galenus *de uſu part. corpor. human. Lib.* 14. *cap.* 9. *fol.* 88. *b.* ab arteriis & humorum acrimonia ac mordacitate ſalacitatis ſeu venereæ voluptatis cauſam derivans; & juxta Johann. Antonid. van der Linden *Meletemat. Phyſiolog.* §. 149. *p.* 64. libidinatio ſeu conjugum in amplexus ſtimulatio contingit maribus a multo multumque igneo ſpiritu, præſertim hyeme: feminis præſertim æſtate a menſtruo & ſemine non vero; a menſtruo quidem maxime cum fluxerit, primis præſertim vicibus; a ſemine autem, cum cietur ſub congreſſu. Secundum anonymi ſententiam furor uterinus eſt vera mania, ejusque cauſa eſt ſanguis aduſtus ac propemodum calcis naturam adeptus, cujus portio maxime calida & ſubtilisſima ad cerebrum delata ſpiritus animales accendit; quo fit, ut ſummo impetu ferantur, ne ratione motus inordinati & præcipitis a recta via deflectant, ac retrogrado motu ferri cogantur, &c. v. Nic. Blegn. *Zodiac. Med. Gallic. An.* 5. *menſ. Mart. cap.* 5. *p.* 57. *ſeq.*

§. 5.

plethora. Majorem in ſalacibus ſanguinis quantitatem ad partes pudendas vehi, teſtantur utriusque ſexus exempla, in quibus interdum duæ, interdum plures annotatæ fuerunt arteriæ ſpermaticæ. Aliquot ejusmodi exempla exhibet Johannes Rudolphus Salzmannus hinc inde in obſervatis anatomicis, a Theodoro Wynants editis, & quidem anno 1608. decollata fuit mulier quædam ob infanticidium, in qua vaſorum emulgentium mira

erat

erat ſtructura, in dextro ſiquidem latere duplex erat vena emulgens; item arteria emulgens dextra duplex quoque in exortu, mox autem triplex erat, ſuperior non magna e regione quoque ſiniſtræ, (a qua etiam magnitudine fere duplo ſuperabatur) ut & vena emulgens exorta mox ad renem properans in ſuperiorem ejus partem implantabatur &c. Eodem anno dictus Salzmannus aperuit etiam corpus meretricis cujusdam feminæ, quæ ob infanticidium aquis ſubmerſa fuit, in qua invenit venam ſpermaticam ex utraque parte duplicem, tum in exortu & progreſſu, quæque in ipſa inſertione proxime quidem ſibi invicem exoriebantur & progrediebantur ad teſticulos usque &c. *vid. p.* 35. *ſeq.* Et *p.* 48. meminit cujusdam decollati, qui in utroque latere plures habuit venas & arterias emulgentes. Lipſiæ anno 1662. ſubjectum femininum, quod ob nimiam laſciviam & adulterium commiſſum decollatum erat, cultro anatomico explorabatur, in cujus dextro latere arteria ſpermatica bifida reperiebatur, teſte Caſparo Theophilo Bierlingio *M. N. C. Dec.* 1. *An.* 2. *Obſ.* 208. *p. m.* 311. ubi hujus feminæ deſiderium neque a marito, neque ab aliis ſatiari, vel ab ullo ingravidari potuiſſe addit. Fama enim erat, illam non ſolummodo cum marito, ſed & permultis aliis rem habuiſſe, uti idem autor *Adverſar. curioſ. Cent. Obſ.* 29. *p.* 58. huic obſervationi annectit, & aliquoties tam in viris, quam feminis, in libidinem admodum propenſis, obque hanc decollatis atque diſſectis arterias ſpermaticas exceſſu peccantes ſe obſervaſſe refert: Simile quoque mihi exemplum duplicis arteriæ ſpermaticæ in femina ob infanticidium ſuffocata, & a celeberrimo anatomico Lipſienſi Johanne Bohnio ante quadraginta fere annos in theatro publico diſſecta videre licuit. Viro cuidam ob rem veneream quaſi infami tres erant venæ ſeminales dextræ ex trunco venæ cavæ, una ſub altera exorientes; quæ omnes poſtmodum, circa teſticulum, una cum altera jungebantur, ſecundum Phil. Salmuth. *Obſ. med. Cent.* 1. *Obſ.* 23. *p.* 16. Bina ſalacium exempla cum tribus arteriis emulgentibus,

bus, alterum ex Salomone Alberto, alterum ex Riolano, adducit Johannes Henricus Meibomius *de Flagror. uſu in Re vener. p.* 82. *ſeq.* ubi addit: Salomonem Albertum ex hoc recte colligere uberiorem ſeminis proventum & ſalacitatem inexhauſtam, quaque vix ſatiari potuerit: de qua hominem ipſum etiam paulo ante ſupplicium ait conqueſtum fuiſſe. Riolanus etiam ſuum ſcribit totum in venerem fuiſſe pronum, ob trigamiam, quod tres viventes haberet uxores, ſtrangulatum. Inquit etiam Theodorus Kerckringius *Spicileg. anat. Obſ.* 32. *p.* 72. *ſeq.* ſe in virgine quadam duos circiter & viginti annos nata quatuor arterias ſpermaticas, venam nullam vidiſſe; illarum dexterarum una ab arteria emulgente, altera ex arteria magna originem trahebat: ſiniſtræ autem ambæ ex emulgente prodibant. In publica infanticidæ diſſectione venam ſpermaticam dextram geminam, quarum una craſſior ex emulgente dextra, altera ex cava oriebatur, anno 1669. a Johanne Arnoldo Friderici numeroſo ſpectatorum cœtui ſpectandam fuiſſe expoſitam, refert Lucas Schrœckius *Schol. in Joh. Hellwig. Obſ.* 129. *p.* 353. vid. etiam Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib.* 3. *Sect.* 34. *fol.* 1340. *ſeq.* ubi viri meminit, qui arteriam ſpermaticam nonniſi unam habuit ex medio trunco ortam, decuplo majorem vulgaribus duabus, recta in paraſtatas deſinentem; hic tamen, cum ageret annum ſexageſimum ſeptimum, tam fuit fœcundus, ut uxorem relinqueret gravidam, cum duodecim liberis.

§. 6.

ab acrimonia & abundantia liquoris, Deinde etiam ab humorum ad partes pudendas affluentium, vel circa eaſdem ſtagnantium acrimonia ſive ſalſedine ſalacitatem, uti modo diximus, quandoque etiam uteri furorem ſeu nymphomaniam excitari, alii quoque autores confirmant. Et quidem uti in maribus, præſertim in iis, qui per longum temporis ſpatium a venere abſtinent, item in ſcorbuticis, ubertas & turgeſcentia ſeminis fons ſalacitatis eſſe ſolet, ita quoque in feminis ad ſalacitatem multum tribuit liquor ille, qui veteribus

ſemen

ſemen muliebre dicebatur, ſed juxta Joh. Antonid. van der Linden *l. a.* tantummodo quid analogum ſemini maris eſt; quæ analogia in materia, loco generationis, cauſa efficiente & accidentibus quibusdam, colore puta, & ſubſtantia conſiſtit. Quanta autem inter hunc liquorem, a feminis ſalacibus excerni ſolitum, & inter ſemen maſculinum detur differentia, in Muliebr. *Sect.* 2. *Cap.* 4. diximus, talemque liquorem recentiores in glandulis vaginalibus atque proſtatis quærunt, interim eundem ad ſalacitatem multum conferre cum veteribus credunt. Ut enim Galenus *de Uſu Part. Corp. hum. Lib.* 14. *Cap.* 11. *fol.* 289. inquit; qui humor in illis corporibus glanduloſis gignitur, in meatum urinarium effunditur, in maſculis quidem una cum ſemine in uterum comportatus, at in feminis cum foras effunditur, tum etiam in muliebre pudendum, cujus porro uſus tam in maribus, quam in feminis ſunt, ut ad res venereas impellat, ut in commiſcendo corpore jucunditate titillat ſenſus. Ita juxta Regner. de Graaf *de Mulier. Organ. Cap.* 6. *Oper. p.* 212. proſtatarum uſus eſt pituitoſo-feroſum ſuccum generare, qui acrimonia & ſalſedine ſua mulieres ſalaciores reddit, pudendasque partes cum jucunditate in coitu lubricat. Et *Cap.* 13. *p.* 324. idem autor ex uteri & vaginæ poris liquorem, in coitu membrum virile ac pubem humectantem in ſalacioribus mulierculis ad viri formoſi adſpectum ſæpenumero erumpere, inquit, vid. etiam Thom. Bartholin. *Act. Hafnienſ. Vol. V. Obſ.* 13. *p.* 43. De hoc liquore ex vaginæ uterinæ lacunis prodeunte ita ſcribit Michael Bernhardus Valentini *Epiſt. ad Joh. Dan. Widtium M. N. C. Dec.* 2. *An.* 2. *App. pag.* 467. racemi vaginales verus nidus atque focus ſunt, in quo morbona muliebris tragœdias ſuas varie ludit, excepta ſaltem menſtruorum œconomia, in qua tamen & ſuas ſæpe vices obeunt. Quodſi enim liquor inibi generatus quovis modo abundet, neque tamen in cœlibatus ſtatu excerni ſufficienter poſſit, turgeſcentia ſua virgines miſerabiles aliasque in triſti orbitatis ſtatu viventes viduas juniores varie vexare, &, ſi

Senecæ verbis dicere fas eſt, quodam cum dolore delectare ſolet. Hinc etiam illæ lacrymæ: Tentigo ſcilicet, furor uterinus, clitoridis inſania, inſomnia venerea, & inde ſcaturientes pollutiones nocturnæ, aliaque tanquam e fonte ſuo manare ſolent. vid. etiam Mich. Bernh. Valentin. *Exotic. Polychreſt. App. Diſſert. Epiſt.* 9. *p.* 212. De abſtinentia a venere & acrimonia humorum, tanquam ſalacitatis cauſa, ita ſcribit Chriſtianus Johannnes Langius *Prax. Med. cap.* 24. *Oper. Part.* 2. *fol.* 170.: Pruritum hunc potiſſimum ex abſtinentia coitus oriri, omnium probatur conſenſu, adeoque indiſcriminatim puellas nondumque virum expertas, æque ac impotenti marito nuptas, ac tandem viduas a furiis his venereis agitari, toties in vita civili non minus, quam praxi obſervatur. Naſcitur tamen inſuper pruritus iſte ex acrimonia ſanguinis, vel ſeminalis liquoris, victu ſtimulante, toxico hauſto & ſolarium radiorum æſtu. Hinc corpora ſcorbutica & melancholica antiquis dicta, data occaſione, laſcivisſima ſæpius deprehenduntur. Huc pertinet etiam, quod de voluptate in coitu gravidarum judicat Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 24. *fol. m.* 136. ad quæſtionem ſcilicet, unde procedat illa voluptas, quæ in coitu feminis gravidis contingit, in quibus tamen eo tempore nulla ova de novo ad uterum feruntur, propter tubarum extremitates tunc exactisſime clauſas? item in quinquagenariis, quibus nulla amplius ova in ovariis ſuccreſcunt aut continentur? ut & in iis, quibus uterus per morbum, ſcilicet uteri prolapſum, exſectus eſt, atque hinc nulla ova deorſum deferri poſſunt? Præterea, unde procedat illud ſemen, quod mulieribus in coitu cum ſumma voluptate in vaginam influit, & per pollutionem, in nocturnis de venere inſomniis interdum foras erumpit? reſpondendo: in coitu magnam illam voluptatem non tam oriri ab ovis ex ovario ad uterum tranſeuntibus, quam potius ex eruptione illius ſeminis (ſi ſemen appellandum ſit) quod prodit ex glandulosa ſubſtantia cervicem veſicæ cingente (huic proſtatarum

uſum

uſum nonnulli adſcribunt) quod ſemen æque in gravidis, ut & in iis, quibus uterus exciſſus eſt, nec non per venerea inſomnia poteſt ſumma cum voluptate erumpere in vaginam uterinam. Præterea ſciendum, in coitu mulieribus non tantum a dicta ſeminali materia in vaginam erumpente, ſed magnam quoque voluptatis partem procedere ex fricatione clitoridis, ſicuti viris contingit ex frictione glandis penis. Nonnulli etiam ſtatuunt, ſemen virile in coitu quandoque ad tubas aſcendere, atque in illis titillationem & ingentem illam voluptatem excitare, quam in coitione prolifica mulieres ſæpe perſentire fateantur. Quæ tamen ſententia Regnero de Graaf *de Mulier. Organ. cap.* 14. *p.* 346. dubia videtur.

§. 7.

Salacitatem etiam excitant varia alimenta acria & aromatica, piperata & flatulenta, item ſpirituoſa potulenta & medicamenta purgantia, qualia exempla in Spermatolog. noſtr. *Cap.* 5. §. 20. *p.* 251. *ſeqq.* varia recenſuimus. Ita ſcribit etiam Chriſtianus Warlizius *de Morb. biblic. Cap.* 12. *p.* 382. Cum bruta communiter victu tenui ac ſimplici alantur, ut vix ad ſaturitatem, non vero ad abundantiam paſcantur, ideo venere non incaleſcunt: domeſtica contra nonnulla animalia, ut canes, ſues & equi, ob pabuli copiam, variis temporibus eandem exercent, inde præter naturæ morem ad laſciviam ſæpius adiguntur. Similiter homo cibis lautis, condimentis acribus & ſalſis, aromatibus calidis, & multis variisque gulæ dapibus nutritus, pruritum venereum ſæpe & neceſſario ſentit, quippe qui comes eſt ac pediſſequa ſatietatis. Deinde bruta ſitim aqua ſedant, homines contra vino generoſo utuntur, quod veneris hortator & armiger exiſtit. Huc referendi etiam orchidum ſeu ſatyriorum bulbi, e quorum generibus commendatur erythronium, quod ex virtute ſua libidinem excitare dicitur. Fertur enim, ſi modo radix manu teneatur, venerem ſtimulare, eoque magis, ſi interne ſumitur. Ex his radicibus ſatyrionis cum aliis ingredientibus *ab alimentis*

parantur poma ambræ, quorum compoſitionem vid. *M. N. C. Dec.* 1. *An.* 3. *Obſ.* 41. *p.* 77. *ſeq.* Ibidem etiam Martinus Bernhardus a Berniz meminit radicis cujusdam ab Indo allatæ, qua non edentibus ſolum, ſed etiam tantum tangentibus genitalibus erectionem dixere vehementem adeo fieri, ut, quoties vellent, coire valerent. Et quosdam, qui uſi fuerunt, duodecies coiiſſe dixerunt. Indum autem ipſum, qui vel magno atque robuſto corpore erat, ſeptuageſies aliquando coiviſſe fatentem, licuit audire. His addit etiam, quæ Helmontius de herba paſſim obvia tradit, conciliare ad aliquot dies amorem, ſi manu, in qua contrita & detenta intepuit, alterius manu, donec intepeſcat, detinueris, probaſſeque in catulo peregrino.

§. 8.

a veſiculis ſeminalibus, Huc pertinet etiam veſicularum ſeminalium in maribus, vel glandularum vaginalium in feminis, ſtatus morboſus, cum in hoc dicta receptacula eorumque fibræ ad inordinatos & impetuoſiores motus concitantur, atque per talem vellicationem in ſpaſmos voluptuoſos vellicantur. Id quod etiam ab extraordinario ſpirituum motu per inſomnia, cogitationes de rebus venereis, vel per petulantes & libidinoſas pudendarum partium contrectationes fieri poteſt. *a menſium defectu.* Porro a menſium defectu vel ſuppreſſione ſalacitatem & furorem uterinum ortum ſumere, annotavit Caſparus Kœlichen *Act. Hafnienſ. Volum.* 1. *Obſ.* 80. *p.* 164. his verbis: Puella quindecim annos nata, cum menſtrua necdum paſſa eſſet, illa vero inſtabant, ob motum hujus fluxus, ſequiori ſexui familiaris, impeditum furore uterino & convulſionibus per intervalla miſere torquebatur: Promoto autem per ſaphenæ dextri pedis inciſionem & idonea medicamenta menſtruo illo fluxu, cum illo ſanitas reſtituebatur. Tam ante quam poſt menſtruationem ſalaciores eſſe mulieres, docet Michael Ettmullerus *Oper. Vol. I. f. m.* 166. Idem confirmat etiam Johannes de Wenckh *M. N. C. Dec.* 3. *An.* 9. *&* 10. *Obſ.* 136. *p.* 260.

§. 9. De

§. 9.

De furore uterino a vermibus orto ſequentem obſervationem refert Chriſtianus Franciſcus Paullini *M. N. C. Dec.* 2. *An.* 5. *App. p.* 40. Puella Batava novendecim annorum, εὔσαρκα & fuſci coloris, in iram, mox in riſum, ſemper vero in fœdos laſcivosque ſermones maxime ſoluta, pudenda crebrius fricabat, ſublatis veſtibus, ultro ſe proſtituens; tandem honeſto includebatur loco, ubi bene & provide curabatur. Variis autem tentatis, & nihil ſeu parum proficientibus, menſes tandem, diu ſuppreſſi, opera medicamentorum, recluſi quamplurimos piloſos, verſicolores cornutosque vermes, oblongos, craſſos & multipedes ſimul effudere, furore ſenſim declinante. Dantur porro ſpecifica, expulſi plures, puella optime reſtituta. Poſt labiorum ac colli uterini pruritum intolerabilem aſcaridum, ex parte viventium, turmam ingentem ex utero excreviſſe vetulam ſeptuagenariam quandam nimis ſalacem, refert Nicolaus Guilielmus Beckers *M. M. C. Dec.* 1. *An.* 8. *Obſ.* 75. *p.* 121. ***a vermibus***

§. 10.

Obſervatur etiam in feminis atque virginibus alia adhuc ſalacitatis ſpecies, & quidem cum delirio, ut tales feminæ non modo venerem & viros audacter & immoderate appetant, ſed etiam primo obſcœnis verbis delectentur, talique ſermone ſe proſtituant, deinde ſæpius absque pudore ſe denudent, taliterque vel in lecto decumbant, inque eodem ſe circumvolvant, vel etiam vagabundæ per plateas nudæ decurrant, &, quibuscum ſeſe commiſcere poſſint, quærant. Inconſtanter tamen plerumque amant hunc vel illum, quo conſpecto, aut de quo cogitantes illico perturbantur. Alius adhuc affectus amoroſi huic cognati, quem uteri vel matricis terrorem antiqui appellarunt, meminit Stephanus Blancardus *Lexic. med. Græc. Latin. p. m.* 277. quando nimirum univerſa uteri ſubſtantia & totum ejus corpus incaleſcit, cum dolore & lumborum gravitate, horripilatione, faſtidio & urinæ ac excrementorum alvi ſuppreſſione; ***furor uterinus.***

& femina coitum vehementer appetit, ſed ob dolorem venere uti pertimeſcit. Græce ὑστερομανία; De quibus ſalacitatis ſpeciebus earumque cauſis varias obſervationes promiſcue adducere placet.

§. II.

furoris uterini exempla

Quod enim paulo ante de ſeminis muliebris vel acrium humorum circa partes genitales affluxu, tanquam ſalacitatis cauſa, adduximus, illud in virgine duodecim annorum, furore aliquali uterino, cum aliis ſymptomatibus laborante, confirmat Ambroſius Stegmannus *M. N. C. Dec.* 3. *An.* 1. *Obſ.* 13. *p.* 29. ſequenti relatione: Magni nominis viri filia nondum duodecim annos nata, convulſionibus totius corporis inſolitis riſuque Sardonio laborabat, & quod mirum dictu, papillæ illi in mammis ſororiantibus ad digiti altitudinem protuberabant, adeo ut induſium incumbens elevarent; in cæteris eadem valde pruriebat, continuo enim manibus genitalia ſcalpebat. Ego rara hæc phænomena miratus, curioſa intentione ex vetula quadam, quæ curam hujus puellæ habebat, ſtatum plenius inquirebam. Illa, amorem fuiſſe, dicebat, puellam hanc amaſſe informatorem vel præceptorem ſuum; cum autem parens ejus hæc obſervaſſet, illum dimiſiſſe. Poſt abitum ejus indies magis magisque puellam cepiſſe dolere & melancholicam inceſſiſſe, dixit anus, donec tandem hæc ſymptomata illam invaſerint. Hiſce diligenter mecum perpenſis parentibus meum conſilium aperiebam, & puellam ex ὀργασμῷ & retentione ſeminis laborare dicebam, quod ſua acrimonia, vappeſcentia & copia non ſolum pruritum in genitalibus, & varia phantasmata venerea, ſed etiam phænomena iſta convulſiva efficeret. Non melius igitur eſſe remedium, quam venæſectionem, qua peracta poſt horas aliquot convulſiones ſenſim evaneſcebant; adhibitisque aperientibus Martialibus & aliis, & duobus diebus ante novilunium propinato vomitorio virgini menſtrua evocabantur. Deinde ſuaſit medicus parentibus, ut filiæ ſuæ de marito proſpicerent,

cerent, ne ob nimiam ſanguinis turgeſcentiam & acrimoniam major morbus metuendus foret, vel occaſione data illegitime cum aliquo congrederetur. Aliud exemplum recenſet idem Ambroſius Stegmannus de furore uterino a denegato congreſſu orto: Virgo ſcilicet quædam Wettinenſis nomine Magdalena Malzin per decem annos præter propter epileptica, in cæteris autem optime ſana & mentis ſuæ compos. Huic ab empirico quodam ſuadetur, ut veneris exercitio, tanquam certiſſimo epilepſiæ remedio, uteretur, quod etiam dicto citius cum milite quodam intendit. Revocato autem milite ad caſtra melancholiæ totam ſe dedit, & diverſis vicibus ratione omni deſtituta, nuda quæſivit ſuum amaſium in hoſpitio, usque dum delira periret. Non autem tantummodo in virginibus & mediæ ætatis feminis, *in vetula.* ſed in vetulis etiam, furor uterinus annotatur, quale exemplum communicat Vitus Riedlinus *Linear. Med. An.* 1695. *Menſ. Novembr. Obſ.* 8. *pag.* 374. de vidua quadam, quæ ſeptuagenaria major per aliquot annos tam inſigni in venerem deſiderio ferebatur, ut non ſolum, quoscunque noverat, ut ſecundas eidem nuptias promovere velint, rogaverit, ſed & hinc inde ſeipſam obtulerit, a pluribus robuſtis juvenibus & viduis, ut ſe ſibi matrimonio jungant, petierit; quod cum obtinere non potuiſſet, in tantam inde melancholiam incidit, ut plurimas noctes vigiles traxerit, & tantum non in inſaniam lapſa fuerit, adeo ut aliquando per aliquot temporis ſpatium eam domi detinere amici coacti fuerint; omnibus enim laſciviam ſuam ſat impudice detegebat, & ſe furore uterino laborare, ipſamet confitebatur. Huic tandem vetulæ ſectio venæ in fronte profuit.

§. 13.

Plura ejusmodi ſalacitatis a variis cauſis oriundæ exempla *Salacitatis exempla alia* hinc inde occurrunt, de ſtupenda enim & deteſtanda puellæ cujusdam triennis ſalacitate ſequentem obſervationem refert Sigismundus Schmiederus *Ephemer. Acad. Nat. Cur. Cent.* 3. & 4. *Obſ.* 156. *p.* 354. *ſeq.* Puella nondum trium annorum ſpatium

emenſa

a malo hæreditario. emenſa in terram & pavimentum ſæpius ſe pronam non tantum conjiciens, ſed & ſtans, ſedens, ſellis earumque partibus, imprimis acutis innitens totum corpus movet & agitat, ad modum viri cum uxore conſueſcentis. Parentes hoc videntes, non ſtatim, quid ſibi hæ filiolæ agitationes velint, intelligunt, habent autem pro geſticulationibus infantis luſoriis, mox tamen, non ſine gravi animi commotione, filiolæ cupiditatem pravam percipiunt. Quo igitur huic malo in tempore remedium inveniant, ſedulo operam dant, ut pravam hanc deleant conſuetudinem. Hinc cum multis modis blandis nunc verbis, eam nunc dehortando, nunc increpando, nunc caſtigando & in pudorem eam conjiciendo, corrigere affectumque peſſimum eradicare laborant, verum irrito ſemper ſucceſſu. Adoleſcente enim filia malum quoque adoleſcebat, & quidem adeo, ut quam ſæpiſſime menſæ accumbens, in aliorum conſortio vivens, in templo ſedens gratumque objectum videns, non ſine parentum mœrore & pudore, ex improviſo, geſticulationes haſce obſcænas & laſcivas, cum notabili ex genitalibus tunc temporis liquoris ſtillantis copia, inciperet, aliaque adultior facta ad veſanam libidinem explendam, media atque inſtrumenta quæreret. Ad parentum amicorumque quæſita, quidnam tempore hoc paroxyſmi venerei cogitaret &c. vel nihil reſpondet, vel dum effari quædam incipit, media in voce reſiſtit & vox faucibus hæret, quaſi jam muta ſit facta. Aliis interdum ſponte ſua refert, incredibili ſe profundi voluptate illo tempore, adeo ut fere & viſus & auditus ipſi quaſi effugere viderentur. Ob continuas equidem parentum increpationes & comminationes aliquo modo ab hac malo in iſtorum præſentia, præſertim cum ambo in eam intenti eſſent, non tamen ſine faciei & nativi coloris mutatione, deſiſtere viſa eſt; ceterum autem ſolitudinem anxie quæſivit, ibique cupiditatibus hiſce pravis & inſatiabilibus ita indulſit, ut ſæpiſſime maxime defatigata ſomnoque correpta fuerit inventa. Cum itaque nullo modo inſanæ libidinis ſtimulus extingui & eradicari

cari potuerit, in auxilium medicus fuit vocatus, ſed irrito quoque ſemper ſucceſſu. Tandem operam navarunt parentes & cognati, ut filia decimum ſextum nunc ingreſſa annum, cuidam elocaretur, num forte conjugium hanc libidinem ſit extincturum. Contrahitur cum quodam matrimonium, virum patitur, concipit & gravida fit, remanente nihilominus antiquo veſanæ libidinis affectu, & perpetuo absque ulla ſatietate cum viro congrediendi (maxima licet cum utrorumque virium proſtratione) deſiderio.[a] Tandem primipara partu difficili extincta fuit, inque ejus pudendis clitoris inſigni magnitudine prædita fuit inventa, & tanta quidem, ut fere virum fuerit mentita prodigioſa venus. Notabile eſt, quod tempore vernali ad feſtum usque Johannis Baptiſtæ maxima hæc fuerit ſalacitas, & quod hoc tempore omnium cum nauſea hircum oluerit, urinamque ſerum lactis, imo faciem lactis exhibentem, emiſerit. Caſum hunc bona mihi fide non tantum mulier honeſtæ conditionis, demortuæ hujus noverca, detexit, ſed & alii ſimul retulerunt: Parentes ejus adeo fuiſſe ſalaces, ut irruente in eos paroxyſmo venereo, in horto, horreo, hypocauſto, verbo, iisdem in locis, ubi tunc temporis ſteterint vel ſederint, ſtatim congreſſum celebraverint. Unde ſatis clare patet, ſalacitatem hanc ſtupendam fuiſſe hæreditariam.

a clitoride magna

§. 14.

Exemplum ſalacis poſteaque a concubitu diabolico, ſeu imaginario, melancholicæ viduæ, ibidem *Obſ.* 130. *p.* 294. recenſet Immanuel Weismannus: Quinquagenaria mulier, olim & adhuc plethorica & ſalax decimo ſexto jam anno ſano & quadrato ſponſo conjugata, per quinquennium nullam prolem ſuſcepit. Paulo poſt viduata aliquandiu menſibus fluere deſiit, aliquot inde annis fluore albo, potius gonorrhœa, afflicta, & moleſto totius, inprimis genitalium tanto pruritu, ut ad ſanguinem usque ſcalpere illa debuerit. Ob ſtimulos liquoris genitalis, juventutem, ſanguinis copioſi ſpirituaſcentiam & toties exoptatam

a plethora.

tam prolem nondum genitam partim ipſa propriis libidinoſæ carnis tentationibus, partim aliorum ſui loci cum virorum, tum juvenum lenociniis irretita quæſivit & admiſit omnes, quos laſciviæ ſuæ ignem in ſinu impudentisſimi pudoris extinguere poſſe, arbitrabatur. Nunquam tamen concepit vitioſisſima meretrix in brutali veneris ſuæ incendio, nec delaſſata, nec ſatiata. Conſuevit multis annis, pro pane lucrando, varias reculas peregre portare, & plerumque ſola cum ſola per umbroſas valles & ſylvas ambulare, ſociata & oblectata laſcivis cogitationibus, quas ipſo actu rurſus compleri non tam optavit, quam obtinuit, ſiquidem, prout fatebatur, ex fruticeto ipſi obveniens vir facie, barba, forma & habitu obſcurus, præmiſſis blanditiis oſculisque, poſtea vi & violenta projectione coitum cum ipſa agitavit, licet ſine omni voluptate, quæ major illi & voluptuoſior eſſe debuiſſet viduæ juvenculæ ac thori voluptates indulgentius appetenti &c. Nobilis femina ſanguinea, nuper nupta, hilari ſemper animo & fronte, marito longa ægritudine decumbente furore uterino perculſa, incondito ſono inclamabat maritum ſororem aliosque notos, & vix ſex hominibus robuſtis potuit contineri, quin in publicum furioſa prodiret. Deſinebat idem furor parva interpoſita mora in lacrymas. Inducias longas denegabat fervens juvenculæ ſanguis, quem tamen aperta vena imminere nequivimus, quod tam diu quieta non poſſet contineri &c. v. Thom. Bartholin. *Hiſtor. Cent.* 5. *Hiſt.* 85. *p.* 164. *ſeq.* A menſium ſuppreſſione furorem uterinum cum ſanguine in cavitate thoracis annotavit Adamus Brendelius *Obſerv. anat. Dec.* 3. *Obſ.* 10. *p.* 25. *ſeq.*

§. 15.

ab ovario tumido. A teſticulorum muliebrium ſeu ovariorum intumeſcentia & inflammatione melancholiam hyſtericam vel etiam furorem uterinum oriri, docet experientia & ſectio ejusmodi feminarum; teſte enim Stephano Blancardo *Collect. med. phyſ. Cent.* 1. *Obſ.* 28. *p. m.* 57. *ſeq.* certa quædam virgo furorem uterinum

demum-

demumque tantam incurrebat maniam, ut vix catenis contineri poſſet, eoque malo ſuffocata periret. In hujus aperto cadavere teſticulus dexter pugni magnitudinem adæquans multo ſero adimpletus erat. Scribit etiam Michael Fridericus Lochnerus *Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent.* 8. *Obſ.* 3. *p.* 225. *ſeq.* horret animus meminiſſe aliquot juvencularum, quæ melancholia hyſterica eo adactæ fuere, ut puteis profundisſimis ſe immerſerint ad flammas illas infelices extinguendas, utinam æterno gehennæ igne non luendas. Juſſu magiſtratus aperta cadavera ob imprægnationis non levem ſuſpicionem, eandem oſtenderunt tragœdiæ feralem cauſam. Ovaria nempe turgidisſima ruptionem, ſi poſſibile foret, minitabantur; quibus diſſectis in oculos ſtatim incurrebant ovula, vix alias conſpicua, ex libidinoſo orgaſmo in tantum diſtenta, ut magnitudinem mediocrium piſorum æquarent. Id quod in juvencula hyſtero-maniaca, ob commiſſum e vitæ tædio homicidium capitis ſupplicio affecta & Altdorffi cultro anatomico ſubjecta, obtigiſſe pariter recordor. Porro virgo gallica nobilis, jamque nubilis, vitam otioſam ducens, calida diæta urens, poſtquam amorem clandeſtinum cum ignobili quodam contraxerat, cui tamen innuere recuſabant parentes, inſomniis fatigabatur; jam aliquot diebus incipit vociferari, locum, qui nos ab altero ſexu diſtinguit, oſtendere, laſciva cantare, torvum tueri & Bacchæ bachanti ſi velit quis adverſarier, ex inſana inſaniorem reddit. Imo niſi a robuſtisſimis vinculis & duobus, imo tribus viris in lecto retinetur, totis artubus ignem concipit, nuda proſilit, & ſi quis maſculus ipſi obviam factus, in illum ferociter ruit, utque veneri ſacra faciat, laſciva petit; perpetuo ferme vigilat,

ſcintillant oculi, mala mens, oratio blanda;

facies in totum igneſcit & tumet; humor mucoſus, acris, viſcidus, lintea fere corrodens, per ſinum pudoris, per inordinata temporis intervalla effluit:

& teter ſeſe halitus atris
Faucibus effundens nares contingit odore,

pulſus præterea vehemens, lingua exſucca, macies in corpore toto. Medicus vocatus virginem hanc in carnificinam gallo-medicam inducit, ubi poſt iteratam trigeſimam, intra ſextum diem, venæſectionem, cum ſanguine ſimul inſanam mentem, veſanum amorem, caram vitam, caramque ſimul & fere divinam virginis pulchritudinem exhauſit. In cadavere vero præter clitoridem mira magnitudine prominentem, ovarium ſive teſtes muliebres deprehendebantur maximæ magnitudinis, ovulaque inſperſa piſum ſi non ſuperantia certe adæquantia; vid. Johann. Michael *Oper. Prax. Clin. Spec. Caſ.* 22. *p.* 547. *&* 556. Hunc vero caſum a modo allegato Michaele Friderico Lochnero, tanquam autore anno 1684. loco theſium inauguralium medicarum publicæ diſquiſitioni fuiſſe exhibitum, refert Lucas Schrœckius *M. N. C. Dec.* 3. *An.* 5. *&* 6. *Obſ.* 124. *Schol. pag.* 255. Virgo etiam clauſtralis, quæ ſæpius diverſisque temporibus in furorem uterinum inciderat, tandem tam violento ejusmodi maniæ paroxysmo corripiebatur, ut catenis, cohibendæ enormis & effrænatæ laſciviæ libidinisque cauſa, vincienda fuerit, inter conatus varios ſe extricandi, & a vinculis liberandi, ſuffocata derepente interiit. Medicus le Duc cadaver horas poſt aliquot aperuit, ac deprehendit, nunquam eam Lucinæ expertam eſſe labores, ſimulque teſticulum ſiniſtrum pugni magnitudinem circiter adæquantem, craſſo ſpermate turgentem; vas autem a teſticulo ad uterum protenſum non modo media parte vaſe dextri teſtis majus eſſe, ſed præterea duriſſimum & calloſum: cæteras autem partes conformationem naturalem adeptas eſſe. vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. Med. Gall. An.* 1. *Januar. Obſ.* 6. *p.* 6. *ſeq.* In femina ſalaciſſima elegantisſimæ formæ ovula turgidisſima, & quædam in orbem diſpoſita, & arctisſimo nexu combinata, annotavit Johannes Maur. Hoffmannus *disquiſit. Corpor. hum. anat. patholog. ſpecim.* 9. §. 4. *p.* 117.

§. 16.

ab ovo in tuba.

Plura adhuc alia in feminis ſalacitate nimia ſeu furore uterino

rino defunctis obſervantur phænomena. Delata enim fuerat aliquando Romæ in archihoſpitale S. Jacobi incurabilium virago quædam, nominis minus honeſti, annos duodeviginti nata, ſanguinei temperamenti, euſarca, florida, vegeta, nec puerperium adhuc experta; quæ cum in ſinu, alias pudoris, nunc impudicitiæ verius appellando, ulcus geſtaret telephium, adeo depaſcens, ut perinæo & inteſtino recto eroſis, e gemino unicum antrum effecerit. Hæc in lectum delata minas cuilibet intendere, intempeſtive loqui, maledictis, convitiis, verbis turpiſſimis obvium quemque inceſſere occepit, ſevera, vaniloquax, procax, ſtupida in tantum, ut idiotis paſſim energumenæ ſpecie imponeret. Ad hanc itaque accerſitus Jacobus Vercellonus, cum videret obtutum ferocem, geſtus parum compoſitos, formamque feminæ ſatis liberalem, putabat primo aſpectu, illam furore, ceu vocant, uteri correptam, aſt pertentato pulſu, cum frequentem compererit ac vehementem, ſiti præterea intenſa & calore partium flagrantiſſimo infeſtatam, eandem plus quam erotico & phrenetico delirio moleſtari deprehendit. Ulcere vero, quod, ſecundum relationem chirurgi, externum tantum erat, in gangrænam verſo ſupremum diem miſera clauſit. Cadavere aperto invenit dictus medicus 1) lienem inſolitæ longitudinis, ad imum nempe abdomen usque protenſum; ut, cum ulterius progredi non poſſet, obſtante ſcilicet oſſe pubis, ſurſum ſe erigeret, ac pone uterum in maſſam pugno æqualem ultimo terminaretur; 2) lævam Fallopianam tubam ad ovarium arrectam, inque ejusdem pampinis ſeu laciniis contentum ovum figura ac magnitudine columbinum exæquans, ut & colore, denſaque & albida membrana obductum, teſtæ loco &c. 3) Uterum comperit tam gracilem, ut nec in minorennibus puellis talem obſervarit. vid. *Ephemerid. Acad. N. C. Cent.* 7. *Obſ.* 9. *p.* 23. *ſeq.* Vir illuſtris uxorem ex illuſtri familia ortam uxorem ducit, formoſam, pudicam, proceram, ingenio & corpore præſtantem. Hujus faſtidium obrepit, ac pediſſequæ ignobilis,

 pumi-

pumilæ, deformis, ſuſpectæ caſtitatis amoribus irretitur. Injuriam mœſta & tacita uxor concoquit; interea a non exculto naturæ fundo crebris affectibus hyſtericis ac multiplicibus vexatur, quibus melancholicum ſuccedit delirium, erroris mariti ream ſe profeſſa, innocens; ab eo criminis veniam deprecatur, domeſticos promiſcue quosvis admiſſarios ſuſtinuiſſe falſo enuntians: hinc diutino mœrore confecta & inedia, a longo decubitu, interveniente morte, mentis errore & corporis languore exſolvitur. Aperto cadavere ſola generationis organa in vitio deprehenſa ſunt, nam teſtes vaſaque omnia tum præparantia, tum aſſervantia, tum deferentia ſemine turgere ſunt deprehenſa, ſed indurato ac in gypſeam duritiem concreto. vid. Theoph. Bonet. *Sepulchr. Lib. 3. Sect. 33. fol. m. 1328. ſeq.*

§. 17.

ab inflammatione uteri

Ex uteri inflammatione dependentis furoris uterini exemplum ex medici cujusdam Mantuani communicatione narrat Joſephus Lanzonus *M. N. C. Dec. 3. An. 5. & 6. Obſ. 124. p. 253. ſeq.* nimirum virgo jam nubilis, vitam otioſam ducens, poſtquam amorem clandeſtinum cum nobili quodam contraxiſſet contra parentum ſuorum voluntatem, in ſomnis fatigabatur, & de die clamabat, multa incompta atque laſciva pronunciabat, ita ut inſana videretur, & quando maſculos videbat, illico in eas ruebat, atque petebat venereos amplexus, oſcula, & vigilabat perpetuo, nec comedens, nec potum aſſumens. Febre accedente continua, multa facta fuere remedia, tam chirurgica, quam pharmaceutica, aſt omnia incaſſum; decima quarta enim morbi die periit. Aperto cadavere omnia viſcera ſana apparuere, præter uterum, qui inflammatus obſervatus eſt, quæ inflammatio ad tubas & ovaria pertingebat.

§. 18.

a pleuritide notha

Ex pleuritide notha furorem uterinum annotavit Olaus Borrichius in virgine nubili; cum enim hæc dicto affectu decumberet, quæſitum a veneſectione & carminantibus aliisque reme-

remedium, & bene ſe habebant principia; intervenit autem juvenis parentem virgunculæ inviſens, in quem illa fixos conjiciens oculos ita e veſtigio immutata eſt, ut mali pleuritici oblita in cantiones & geſtus amatorios affectum ſuum profunderet. Deſiit itaque malum primum, ſed recruduit ita violenter ſecundum, ut in delirium acta de nulla re vel cogitaret, vel loqueretur, niſi de nuptiis & feſcenninis, certa in gremium juvenis irruere, quoties rediret, non ſine inſigni pudore honeſtiſſimæ, unde orta erat, familiæ. Neque aliter obviam iri potuit in in majorem quotidie flammam erumpenti deſiderio, quam removendo ex oculis ejus objectum illud amoris. Tandem allato in hanc rem ficto nuncio, mortem juvenis denunciante, illa poſt deploratam ſatis diu orbitatem ſuam, helleboro per vices expurgata ad ſanam mentem rediit. v. Thom. Bartholin. *Act. Hafnienſ. Vol.* 4. *Obſ.* 63. *p.* 167. *ſeq.*

§. 19.

Quædam nobilis mulier, ætatis mediocris, bonæ habitudinis, ſanguinea, alba, carnoſa, & facie rubea, elegantis corporis, cum proprio marito per longa tempora pudiciſſime vixit; quæ poſtea per aliquot annos, interpolatis temporibus, in mentis permixtionem incidit & quaſi furioſa fuit, cum non eſſet prægnans. Quod accidens cum contingeret, totum corpus ejus tremebat, & partes membrorum quaſi ſingula tremendo movebantur, etſi immobiliter detinerentur; & durabat hoc accidens per aliquot dies. Sic, quando incipiebat hæc diſpoſitio, ſentiebatur in ventre ejus ſonitus manifeſtus, ita ut vir ejus cum ea jacens audiret ſonum dictum in ventre ejus, & tunc ſupra modum & præter ſolitum erat cupida libidinis. Et cum vir in totum huic immoderato appetui ſatisfacere non ſtuderet, ſive non poſſet, tunc reddebatur vigilans, & tunc incipiebat inſanire. Sed poſtquam a viro conceperat, ſemper libera erat ab omnibus his accidentibus usque ad finem partus: & poſt, niſi infra annum conciperet, aut duos, ſolebat in priſtinam furiam

ab abſtinentia a coitu.

incur-

incurrere. vid. Joh. Schenck. *Obſ. med. Lib.* 4. *fol.* 557. Sic puella viginti duorum annorum, bonæ conſtitutionis, obeſula, facie non illiberali, amore capta juvenem deperibat. Hinc melancholica, morbum quoque uterinum ſeu uteri maximam ſuffocationem incurrebat cum epilepſia ac motu totius corporis convulſivo, ut venter attolleretur, mox deprimeretur & concideret, idque per multas horas, cum rugitu, qui ab adſtantibus etiam exaudiebatur, maxima vociferatione & ululatu ſine loquela, cum ſaltu ventris, tum brachiorum, tum manuum contorſione; atque horribilibus ſymptomatibus, ita ut pro dæmoniaca ab adſtantibus mulierculis haberetur, etiam pro deplorata. Dehinc melancholica permanebat, atque ſe mutam ſimulabat. Medicus autem olfecit, eam veſano amore captam eſſe, cum juvenem quendam Leydanum, cui Joannes nomen erat, deperiret. Cumque rurſus reſpondere nollet, medicus alios domeſticos, numquid audiviſſent, rogabat, de juvene quodam Joanne Leydano? numquid ſcirent, in quo ſtatu verſaretur? Hoc dicto pulſum tangendo medicus reperit manifeſtam habere celeritatem, hacque occaſione inquit: ſcio, mea filia, morbi tui cauſam. Hæc cum audiviſſet, cœpit ſubridere & loqui; imprimis cum ipſi medicus nomen adoleſcentis, & urbem, in qua habitabat & quem ipſa deperibat, recitaſſet: Poſtquam etiam mater vocata filiam ſuam non ſolum adoleſcentis amore captam eſſe, ſed & fidei inter ſe ſponſionem præſtitam eſſe, ſeque nuptiis annuere detegeret, filia adeo exhilarata eſt, ut flos vivus in facie redierit, & ex incontinenti, nuptiis jam addictis, a melancholia & veſano illo amore liberata fuerit; neque amplius ſymptomata dicta patiebatur, cum amaſio ſuo jam potiretur: nam hæc præcipua curatio eſt veſani amoris &c. v. Petr. Foreſt. *Obſ. medic. Lib.* 10. *Obſ.* 30. *fol.* 352. *ſeq.* Circa pulſus autem celeritatem ſeu alterationem a Foreſto in hac puella annotatam adhuc annectere liceat, quod amantis perſonæ pulſus & calor & diſpoſitio alteratur, cum fit rememoratio ejus, quod diligitur proprie & cum obviat ei

amoris cognitio ex pulſu.

ſubito:

ſubito: & poſſibile eſt ex hoc cognoſcere, qui ſit, qui diligitur, cum non confitetur ipſum, & non parum confert hoc ad curationem, ſi medicus prudens, cum tangat pulſum ægri vel ægræ, multa nomina recitet, & præcipue eorum, de quibus ſuſpicionem habet, rememorando figuram, domum, artes, genus, regiones, etiam urbem, & comparetur unumquodque ad nomen ejus, quod diligitur: nunc quidem fiet diverſitas in pulſu & interſectio, nec non color mutabitur & anhelitus. Prodeſt enim hoc ſcire ob curationem: ſi enim conjungantur, modo lex & fides permittant, illico curantur, & ad carnem redeunt, cum perveniſſent ad arefactionem; Quod Foreſtus quoque confirmat experientia Galeni, qui ex pulſu Juſti uxorem, quæ absque manifeſta occaſione conſumebatur, eam non modo amare, ſed quem deperiret etiam, miro quodam artificio deprehendit: & Romanam mulierem, quæ Pyladis amore capta erat. Recenſitæ autem huic Foreſti obſervationi ſimilem fere caſum mihi quoque ante viginti aliquot annos in virgine quadam, Schm. alias florida, vegeta & aſarca obſervare licuit; quippe quæ poſt familiarem cum juvene quodam, K. converſationem certisſima eodem potiundi ſpe alebatur, ob apparentem autem, poſt rixas amantium, ejusdem tergiverſationem in ſummum animi mœrorem, atrophiam, melancholiam, agrypniam, frequentem partium pudendarum pruritum, cum delirio amoroſo atque frequenti ſuffocatione, incurrebat; quæ ſymptomata cum nullis remediis, a medico ordinatis, cedere vellent, ego demum vocatus, dum animi deliquio quaſi moribunda videretur, ſtudio ipſius amaſii nomen ipſi acclamo; quia mihi clandeſtinus horum amor ex matris revelatione notus erat, quo facto ex pulſu & mutato faciei colore atque frequentiori reſpiratione morbi hujus amatorii cauſam detexiſſe credebam; quapropter frequentiori dilectæ perſonæ reminiſcentia ipſius viribus ſucceſſive in tantum reſtitutis, confeſſionario ipſius ad eam, quaſi moribundam, vocato, opinionem meam de hujus morbi cauſa explicatam;

Obſervatio.

cujus perſuaſu dictus K. ægrotam noſtram, clanculum ſibi deſponſatam, viſitabat, ſuaque præſentia majorem, quam nos medici, opem ferebat, imprimis cum ſponſus promiſſi ſui memor de proxime celebrandis nuptiis eandem certiorem faceret.

§. 20.

alia ſalacitatis & furoris uterini exempla.

Dantur adhuc alia ſalacitatis atque furoris uterini exempla; teſtatur enim Gaudentius Merula, ſe Auguſtæ Taurinorum vidiſſe adoleſcentulam ſatis elegantem & adeo libidinis avidam, ut quinque & triginta viros ordinis militaris ad coitum ſeriatim admiſerit. vid. Henr. Salmuth. *Comment. in Guid. Pancirol. Rer. memorab. Part. II. Tit.* 10. *pag.* 174. it. Mizald. rediviv. *memorab. Cent. VII. n.* 629. *p.* 277. Virgines Mileſias hoc affectu laborantes, catervatim ſeſe ſuſpendiſſe, nec potuiſſe monitis, precibus, aut ulla vi impediri, ex Plutarcho refert Daniel Sennertus *Pract. Lib.* 4. *p.* 252. ubi addit, Lugdunenſes mulieres catervatim ſeſe in fluvios & puteos præcipitaſſe, quod ideo factum eſſe putant, quod, cum ſummo veneris appetitu laborarent, nec tamen præ pudore affectum patefacere auderent, nec etiam appetitum illum tolerare poſſent, præ impatientia vitam laqueo & aqua finire aggreſſæ ſint. Matthæus Franciſcus Hertodius novit in Moravia honeſtam matronam, temperamenti ſanguinei, annorum viginti aliquot, ſpecioſam ſatis, ſterilem tamen, cæterum ſalacem valde, & quæ conſuetudinem mariti, præclari alias viri, plurimum appetebat, prout ipſe Hertodio queſtus eſt, &, ne in maritali officio tandem ſuccumberet, rogavit. Hæc quotiescunque ſive nocte ſive mane, aut interdiu, jejuno aut pleno ventriculo venerem exerceret, materiam quandam albicantem, modicæ tamen quantitatis, tenuiori ſemini non abſimilem, vomere conſuevit, ſubſequente aliquali totius corporis, maxime vero capitis artuumque debilitate, quo ſymptomate cum per annos circiter decem pertentaretur, tabida tandem unaque aſcitico-tympanitica evaſit, & paucis poſt annis præmatura morte fatis conceſſit. vid. *M. N. C. Dec.* 1. *An.* 4.

pag.

pag. 20. Et Johannes Benedictus Sinibaldus curavit nobilem quandam mulierem ex renum dolore, cujus cauſam dum exacte a conjuge perquiſivit; dixit ille, uxorem in commixtione venerea maxime incendi & immenſum experiri pruritum, nunquam tamen concubitus actum explere, licet non mediocri delectatione leniretur, adeo ut aliquando voluptatis furorem conciperet absque ulla genituræ fuſione: quæ nihilominus mulier pluribus erat fœcunda filiis & pulchræ prolis parens.

§. 21.

Salacisſimis feminis inter alias annumeranda eſt Meſſalina, Cæſaris Claudii uxor, quæ juxta Plinii *Hiſtor. Natur. Lib.* 10. *cap.* 63. *fol. m.* 184. ancillam e proſtitutis mercenariæ ſtipis in certamen venereum elegit, eamque die ac nocte quinto & viceſimo ſuperavit. Hæc mulier deteſtandæ & proſtitutæ libidinis dicere ſolebat: etſi a viro centies in die calcaretur, ſe quidem laſſari, non autem ſatiari, eo quod ſemen non emitteret. vid. Hier. *Mercurial. de Morb. Mulier. Lib.* 1. *cap.* 2. in Iſrael. Spachii Gynæc. *fol. m.* 213. Meſſalinæ adulterio Vectium Valentem nobilitatum eſſe refert Plinius *l. a. Lib.* 29. *cap.* 1. *fol.* 518. Utque infanda Meſſalinæ luxuria & licentioſa libido magis inſoleſceret, virgines nobiles cunctas contaminavit, advocatis juvenibus, quorum ſi quis forte præ metu abnueret, ſtatim ficto crimine occidi curabat. vid. Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib.* 2. *Tract.* 2. *cap.* 21. *pag.* 201. Imo lupanaria ipſam immutata veſte & nomine celebraſſe, ſatis notum. Inquit enim Juvenalis *Satyr.* 6.

Aliæ mulieres ſalaces: Meſſalina.

dormire virum cum ſenſerat uxor
Auſa palatino tegetem præferre cubili;
Sumere nocturnos meretrix Auguſta cucullos
Linquebat comite ancilla non amplius una:
Et nigrum flavo crinem abſcondente galero:
Intravit calidum veteri centone lupanar.

Quibus non ſine rubore vates ſubjungit:

Mox lenone ſuas jam demittente puellas
Triſtis abit: ſed quod potuit tamen ultima cellam
Clauſit adhuc ardens rigidæ tentigine vulvæ,
Ac reſupina jacens multorum abſorbuit ictus
Et laſſata viris, nondum ſatiata receſſit.

Deinde ratione nominis mutati ſciendum, Meſſalinam, quo ſuam libidinem ad ſatietatem tecto nomine expleret, Lyciſcæ, proſtitutæ mulieris, nomen mentita ſæpe ſub noctem lupanar adibat; unde idem Juvenalis:

- - nomen mentita Lyciſcæ.

Solebant enim, juxta Henrici Salmuthi *Comment. in Guidon. Pancirol. de Reb. perdit. Lib.* 2. *Tit.* 10. *p.* 174. mulieres, meretricium quæſtum capturæ, apud ædiles licentiam ſtupri vulgare, ut de Veſtilia, prætoria familia genita, Tacitus ſcribit *l.* 2. atque inſuper mutatum nomen cellæ in lupanari, ubi proſtabant, inſcribere &c. Imo cogebat etiam Meſſalina cæteras mulieres luxurioſe & petulanter vivere, efficiebatque, ut multæ in palatio, viris ſuis præſentibus ac videntibus, cum adulteris coirent, imperatore multo tempore harum rerum ignaro: propterea quod Meſſalina ancillulas quasdam ei ſuggerebat, quibuscum rem haberet. Nec adulterinis contenta, maritos quoque multos habere concupivit: nam Cajo Silio nupſit, harumque nuptiarum cauſa convivium magnificum fecit, eique regiam donavit, in qua omnes Claudii theſauros pretioſiſſimos congeſſit, eumque extremum conſulem deſignavit. Id cum Narciſſus Claudio nunciaſſet in hortis Lucullianis, ictu a tribuno transfixa eſt, quod timeret, ne ſimul cum uxore, quam alias ardentiſſime amabat, imperium quoque amitteret. vid. Caſp. Bauhin. *de Hermaphrod. Lib.* 1. *cap.* 10. *p.* 99. *ſeq.* Cornel. Tacit. *Annal. Lib.* 11. Joh. Ludov. Gottfridi *Hiſtoriſche Chronic. Part. IV. fol. m.* 320.

§. 22.

Julia. Juliam imperatoris Auguſti filiam, ob impudicitiam a patre Augu-

Auguſto Pandateria inſula, mox oppido Rheginorum, qui Siculum fretum accolunt, clauſam fuiſſe, ſcribit Cornelius Tacitus *Annal. Lib.* 1. *p. m.* 17. Ad quæ verba Juſtus Lipſius *Comment. p. m.* 29. ita loquitur: qui feminam hanc impudicitiæ arguant, multi teſtes. Seneca *de Benef. Lib.* 6. *cap.* 32. Auguſtus flagitia principalis domus in publicum emiſit, admiſſos gregatim adulteros, pererratam nocturnis comeſſationibus urbem, forum ipſum ac roſtra, ex quibus pater legem de adulteris tulerat, filiæ in ſtupra placuiſſe, cotidianum ad Marſyam concurſum, cum ex adultera in quæſtuariam verſa jus omnis licentiæ ſub ignoto adultero peteret. Plinius. Apud nos hujus licentiæ exemplum non eſt aliud, quam filia D. Auguſti, cujus luxuria noctibus coronatum Marſyam litteræ illius Dei gemunt, vel juxta Lipſii emendationem, degemunt. Inquit etiam Johannes Benedictus Sinibaldus *l. a. p.* 201. Auguſtum Julias, filiam & neptem, omni pene libidinum ſpurcitia Romæ diffamatas relegaſſe. Contra alteram Juliarum ſic Juvenalis in Satyris:

Quum tot abortivis fœcunda Julia vulvam
Solveret.

§. 23.

Hujus farinæ etiam fuit Cleopatra Ægypti regina ſuperba, luxurioſa atque ſalaciſſima, quæ ſub una nocte ſumpto cucullo in lupanari proſtibulo centum & ſex virorum concubitus pertulit, in tantum enim, ut profeſſa eſt, in tentigine rigidæ vulvæ erat accenſa, quod a lupanari quidem delaſſata, ſed non ſatiata redierit. vid. Chriſtian. Warliz. *de Morb. biblic. cap.* 12. *pag.* 368. Blandiloquentia ſua & morum ſuavitate facile quosvis in ſui amorem pertrahere potuit; & inter hoſce Antonium inſana libidine eo adduxit, ut, repudiata Octavia, Octaviani Auguſti ſorore, ſe in matrimonium duceret. vid. Chriſtian. Matthiæ *Theatr. Hiſtor. p. m.* 369. Hæc tantæ libidinis fuit, ut ſæpe proſtiterit, tantæ pulchritudinis, ut multi noctem illius morte emerint, uti ex Aurelii Victoris breviario refert Joh. Ben. Sinibaldus *l. a. p.* 202. ***Cleopatra.***

§. 24.

Semiramis. Ibidem etiam de Semiramidis ſalacitate ita ſcribit: Aſſyriorum regina Semiramis, quamvis maſcula, & heroica virtute glorioſa, tanto ad extremum libidinis æſtu incaluit, ut, conjuge mortuo, ad complexum quam plurimos e ſuis militibus provocaverit, quos poſtea & necari curabat. Equum inſuper adamavit, &, quod magis execrandum, Ninum filium; a quo interemptam hac de cauſa tradunt. In hanc invehens Scaurobates Indorum rex ſcortum paſtorale appellat, & Aſſyrii regis concubinam, quæ nullum diem in caſtris absque adulterio transegerit. Et Nicolaus Venette *de Generat. Cap.* 4. *Art.* 2. *pag.* 165. de Semiramide ita ſcribit: la reine Semiramis aprés avoir pleuré la mort de ſon mary, ſe proſtitua à beaucoup de perſonnes, & qui, pour cacher ſes desordres amoureux, fit bâtir quantité de mauſolées pour enterrer tout vivans ceux, avec qui elle avoit pris des plaiſirs illicites, àfinque ſon impudicité fuſt cachée aux yeux des hommes. Loco ex Sinibaldo allegato plura ejusmodi exempla reperies, vide etiam *Spermatolog. noſtr. Cap.* 5. §. 19. *pag.* 250. *ſeq.* ubi de ſcorto Cyrene, cui cognomentum δωδεκαμηχάνȣ ſeu machinamentorum duodecim ideo impoſitum fuit, quod in venereo uſu duodecim excogitarit modos, quibus inſcenſui jucundius redderetur libidinis proluvium. Quartilla etiam apud Tit. Petron. Arbitr. *Satyr. p. m.* 10. ſe ipſam pro ſummæ ſalacitatis exemplo ſiſtit, inquiens: Junonem meam iratam habeam, ſi unquam me meminerim virginem fuiſſe. Nam & infans cum paribus inquinata ſum, & ſubinde prodeuntibus annis majoribus me pueris applicui, donec ad hanc ætatem perveni &c. Gaudentius Merula Auguſtæ Taurinorum vidit adoleſcentulam ſatis elegantem, ſed adeo libidinis avidam, ut quinque & triginta viros ordinis militaris ad coitum ſeparatim admiſerit. v. Chr. Warliz. *de morb. biblic. cap.* 12. *p.* 368. Feminæ, vivente marito, centum & ſeptem perſonis ſeſe proſtituentis ex Benedicto Carpzovio mentionem facit Johannes Georgius Simon

Simon *de Impotent. conjugal. Cap.* 2. *Theſ.* 2. *n.* 3. *p. m.* 20. De extrema Barbaræ, imperatoris Sigismundi conjugis, ſalacitate ſcribit Johannes Dubravius *Hiſtor. Bohem. Lib.* 28. *pag. m.* 739. *ſeq.* quod fuerit mulier prorſus Sadducæa Epicureaque. Cum Epicuro enim ſummum bonum in voluptate ponebat. Similiter atque Sadducæi de immortalitate animæ nihil plane credebat, ſed tam ſuperos, quam inferos ridebat. Huic ad laſciviam comprimendam cum a viris matroniſque honeſtioribus, poſt mariti mortem, turtur avis proponeretur, quæ marito mortuo iterum nubere neſciret, abſterſo omni pudore, ſolita eſt reſpondere: quid mihi cum ave monticola & ſolitaria? cur non potius columbas & paſſeres, domi ob oculos quotidie obverſantes mihi proponitis? quarum avium oſcula & amores nunquam ceſſant. vid. etiam Zieglers *Schauplatz der Zeit f.* 113. ubi inquit: *Dieſe Kayſerin war ein Ausbund eines unkeuſchen Weibes, deren Begierden unerſättlich und die Art der Wolluſt unbeſchreiblich war. Mit denen Jahren vermehrete ſich ihre Brunſt, und ihre Hitze kühlete ſich in iedem Moraſte ab, es mochte ſeyn, wer es wolte. Fleiſches-Luſt und üppiges Weſen hielt ſie vor die gröſte Seeligkeit, daher ſie auch nichts unterließ, was nur zu Büſſung ihrer unreinen Lüſte dienlich war. &c.*

§. 25.

Laſcivæ uxores maritis cornua imponentes.

Cum autem ejusmodi feminæ laſcivæ ſuis maritis cornua imponere dicantur, de cornutis ſequentia ex Alexandri Arnoldi Pagenſtecheri *Diſſertatione de Cornibus & Cornutis*, & quidem juxta Actor. Erudit. Lipſ. *An.* 1715. *Mart. p.* 120. *ſeq.* hoc loco inſerere placet: Cornua ſcilicet apud veteres ſigna fuerunt & ubertatis & autoritatis. Id poſtea imitati ſunt potentiſſimi Principes aliæque familiæ illuſtres, quorum inſignia non tantum cornua naturalia cornutasque naturales beſtias referunt, ſed & his illisve galeas & caſſides exornant. Poſterioribus vero ſeculis cornua in ſenſu morali denotarunt uxorum laſciviam: quo tamen tempore id cœperit, non adeo liquet, certe ad ſenſum moder-

modernum nullibi cornutorum appellatio apud Romanos ſcriptores occurrit. Cornuti itaque morales autori dicto commode in tres claſſes referuntur, vel enim ſunt 1) legales, vel 2) voluntarii, vel 3) non voluntarii. Ad primam claſſem pertinere dixeris illos, qui lege volente tales eſſe coguntur; ſic famoſisſima habetur conſtitutio Eveni III. Scotorum regis, qua cavit, ut rex ante nuptias virginum nobilium, nobiles plebejarum prælibarent pudicitiam, a Milcolumbo III. longo poſt tempore abrogata. Imo in India integra imperia atque regna eſſe perhibentur, ubi nefas putatur uxorem ducere, quæ non a ſacerdote antea fuerit devirginata, ſacerdotibus inſuper pro opera honorarium percipientibus. Secundum cornutorum genus conſtituunt voluntarii, quo referas lenones. Tartaros quoque provinciam Camul incolentes, qui, ut peregrinos vel invitos domo excipiant, ipſi domo cedunt, ante hoſpitis diſceſſum non reverſuri. Adeo ſibi honori ducunt uxores proſtitui, & ex peregrinorum concubitu regionem populoſam reddi. Denique cornutorum non voluntariorum magna ubique deprehenditur copia; inter has nominare fas eſt Davidem a filio Abſolomo cucurbitatum 2. *Samuel. XVI*, 22. nec minori jure Jacobum patriarcham, cujus filius Ruben cum Bilha, patris concubina rem habuiſſe legitur *Geneſ. XXXV*, 22. Inter imperatores Romanos agmen ducit imperator Claudius, de cujus uxoris Meſſalinæ adulteriis Tacitus aliique paſſim teſtantur. Item Tiberius Auguſtus; duxerat ille Juliam, Auguſti filiam, quæ eo laſciviæ progreſſa, ut in ipſo foro & roſtris nocturnas compotationes ageret, & nihil, quod facere aut pati turpiter poſſet, omitteret. Sequitur Antoninus Philoſophus, cui uxor erat Fauſtina, quæ dubium reliquit, an forma cæteras feminas, an libidine vinceret. Ex recentioribus in hunc cenſum venit Henricus VI. imperator, Friderici II. pater, cujus uxor Conſtantia cum Jordulano, Siciliæ quodam comite, furtivos concubitus ſociaſſe dicitur. Cornutum ſimiliter fecit Ottonem III. imperatorem Ma-

riæ

riæ conjux, quæ muliebri habitu indutum juvenem circumducebat, quocum quotidie congrediebatur, eodem pro cubicularia palam utens. Sic David Ritzius muſicus Henricum Scotiæ Regem cucurbitavit; & Smetonus quidam per Annam Bolenam Henricum VIII. Angliæ Regem cornibus mactavit. Porro Fridericum Palatinum Saxonicum, cui præſtantisſimæ formæ Adelheida conjux, Ludovicus Thuringiæ Landgravius cucurbitavit, item tandem in venatione occidit. Memorabilia ſunt cornua Chilperici I. Francorum Regis, cujus uxor Fredegunda ſubſeſſore utebatur Landrio. Cum enim Rex aliquando a venatione citius reverſus, conjugemque ante ſpeculum ſe comentem deprehendens, virgula, quam forte manu tenebat, leviter & joco luſitans, a tergo eam percuteret, Fredegunda, exiſtimans Landrium eſſe gratisſimi hujus verberis auctorem: Putabam, inquit, Landri, bonum equitem non retro, ſed ante ferire, uti ex Alexandri Arnoldi Pagenſtecheri libro de jure ventris referunt Acta Erudit. Lipſ. *An.* 1715. *p.* 21. *ſeq.*

§. 26.

Potiſſimæ cauſæ, ob quas mulier ad prævaricationem lecti conjugalis, diſſolutionemque fidei conjugalis marito præſtitæ, conſuetudinemque cum impellitur, ſecundum Jacob. Moller. *Diſcurſ. de Cornut. & Hermaphrod. Cap.* 5. *p.* 33. *ſeqq.* ſunt hæ 1) impotentia, quæ eſt coeundi defectus in viro cum ſua uxore, ita ut officia maritalia illi exſolvere non valeat. 2) Senectus: ſenes enim & provectæ ætatis viri ſi matrimonium ineant cum puellis junioribus, quibus calent viſcera & vegetus ſuccus abundat, nil niſi contemptum, ludibrium, faſtidium & cornua ſperare debent. 3) Nuptiæ nimis immaturæ. Scribit enim Ariſtoteles, eas, quæ admodum puellæ concumbunt, libidinoſiores per totam ætatem evadere. Item ad continentiam utilia eſſe, nuptias fieri ſeriores, intemperantiores enim eſſe videntur, quando ut puellæ veneri adſueſcunt. 4) Sævitia mariti in uxorem. Poteſt quidem maritus uxorem ex juſta cauſa mode- *Cauſæ.*

rate caſtigare, atrociter autem illam verberare non licet: *Denn ſchläget man bey ſolchen Beſtien einen Teuffel heraus, ſo ſchläget man hingegen zehen wieder hinein.* Verendumque eſt, ne uxores verbera hæc ulciſcentes de maritis ſumant vindictam, & ſe alienis viris ſubſternant, *machen ihn davor zum Poſſen zum Hahnrey.* 5) Quinta cauſa eſt longa & diuturna maritorum abſentia. Refert enim Herodotus hiſtoriam de Scythis, qui cum bello Cimmerios proſecuti fuiſſent, eoque bello octo & viginti annos peregre abfuiſſent, eorum interim uxores ſervis ſeſe commiſcuerunt, ex quorum concubitu progeniti liberi Scythas revertentes abigere conati ſunt. 6) Denudatio uxorum in conſpectu aliorum virorum: Nuditas ſiquidem mulierum viros, ſi quicquam aliud, ad libidinem miris modis accendit & irritat, ut rejectis contemtisque naturæ jurisque legibus, nulla generis affinitatisque ratione habita, ad infandam inconceſſamque undequaque venerem aliquando impulerit, ſi fides habenda eſt illi, quod cum Julia Antonini Caracallæ Imperatoris noverca, mulier forma eleganti & egregia, ſe maxima corporis parte coram Antonino ipſo quaſi per negligentiam nudaſſet, eaque nuda conſpecta dixiſſet Antoninus libidine exæſtuans: Vellem ſi liceret: reſpondiſſe fertur: Si libet, licet; An neſcis, te imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere? Quo audito Antoninus ad obeundum ſcelus audacior factus novercam uxorem duxit. Imo Rex & Propheta David, homo per omnia integerrimus & vir ſecundum cor Dei, nonne cum Betſebam nudam ſeſe lavantem forte fortuna conſpexiſſet, in eam tam deperdite exarſit, ut adulterium cum ea primum, deinde & homicidium in ejus virum, perpetraverit. Idem Jacobus Mollerus ibidem *Cap. 6. p. 48. ſeq.* etiam de remediis præſervativis contra prævaricationem tori conjugalis agit.

§. 27.

De mulierum Turcicarum earumque virorum zelotypia prolixe ſcribit Auguſtus Busbequius *Epiſtol. 3. p. m. 182. 184. ſeq.*

Tur-

Turcæ, inquiens, ſi qua alia gens, uxorum pudicitiæ ſtudent, ideo concluſas ſervant domi atque abdunt, ut vix ſolem aſpiciant. Quod ſi in publicum neceſſitas evocet, ita tectas, ita pannis obvolutas, emittunt, ut meræ larvæ aut ſpectra accurrentibus videantur. Ipſis quidem viros per linteum aut ſetaceum videndi copia eſt, viris nulla earum pars ad conſpectum patet. Eſt enim apud eos recepta opinio, non poſſe mulierem, quam vel minimum forma aut ætas commendet, a viro ſine potiundi libidine, ac proinde ſine mentis labe conſpici, ob id omnes habent abſconditas. Cum vero vulgus mulierum promiſcuis ſui ſexus balneis utatur, eo plures, cum ſervæ, tum liberæ, aggregantur, in quibus puellæ multæ ſunt eximia forma, ex diverſis orbis regionibus variis caſibus collectæ: quæ cum nudæ, ut in balneis, reliquarum oculis exponantur, miros in quibusdam excitant amores, nihilo minores, quam quibus apud nos adoleſcentium animos virginei commovent. Vide, quid proficiat cuſtodia: quamque non omnia fugit, qui vitavit adulterum. Mulieres inter ſe amant, conciliatrices vero nefariorum amorum ſunt balneæ: a quibus propterea mulieres ſuas, quoad poſſunt, arcent, penitus tamen abſtinere non poſſunt, permittente lege. Sed hæc vulgi labes: ditiores lavant domi. Evenit, ut in tali cœtu mulier magna natu caperetur amore juvenculæ, filiæ cujusdam incolæ Conſtantinopolitani, hominis in tenui re; cumque apud eam procando & blandiendo non tantum proficeret, quantum ejus inſania poſtulabat, rem auſa eſt, noſtris moribus pene incredibilem: mutato cultu mentitur virum, conducit ædes in propinquo, ubi habitabat puellæ pater: nomen edit inter mancipia Imperatoris de numero Chiauſorum; brevique, ut fit inter vicinos, inſinuat ſe in ejus conſuetudinem, nec multo poſt de filiæ nuptiis mentionem injicit. Quid multa? viſa eſt conditio patri non aſpernanda, libenter annuit, dicitur dos pro facultatibus, & idem dies nuptiis, qua ingreſſus in thalamum ad novam nuptam, bellus ille ſponſus, ubi capitis tegmen depoſuit,

Salacitas mulierum Turcicarum.

& colloqui cœpit, ſtatim agnoſcitur. Exclamat virgo & parentes revocat. Illi agnoſcunt, non ſe viro, ſed feminæ collocaſſe filiam. Poſtridie ducunt ad præfectum Gianizarorum, qui per abſentiam principis urbi præerat; increpat mulieris tam grandis natu veſaniam, ecquid non puderet propudium tam fœdæ libidinis, tamque vecordis incepti? tum illa, abiſis, inquit, neſcis quid valeat amor, faxit Deus, ne ejus vires unquam experiaris. Ad vocem tam abſurdam non tenuit riſum præfectus, ſtatimque e conſpectu amoveri illam & profundo mergi juſſit.

§. 28.

Salacitatis cura per terrorem,

Ad præcavendam & curandam talem ſalacitatem atque furorem uterinum præter curationem per medicamenta ex autoribus practicis petendam, ſuadet Rodericus a Caſtro *de Morb. Mulier. Lib.* 2. *cap.* 10. *pag.* 242. ut exhortentur feminæ ſic affectæ ad honeſtatem, & opprobrium eis proponatur, niſi reſipiſcant: ſic Mileſiæ virgines curatæ leguntur lege promulgata, ut quæcunque ſeſe affectu percitæ necarent, per forum nudæ traherentur: cavendum tamen, ne dedecus divulgetur, ne ſpreto pudore & fama, admonitiones non curent &c. Refert etiam Chriſtianus Johannes Langius *Prax. med. cap.* 24. *Annot. Oper. Part. II. fol. m.* 170. ex Plutarcho, quod aliquando virgines Melitenſes ad unam pene omnes nymphomania laborarint, & ſimul decreverint ob coitus defectum ſibi ipſis laqueo finire vitam. Hinc magiſtratus edicto publico tantum effecit, ut reſtituerentur omnes, nam laqueo ſuſpenſas nudas in forum ſuſpendi decreverat.

§. 29.

per coitum.

Aliis tamen feminis nimia ſalacitate uterique furore laborantibus ſuaderi ſolet curandi modus, minime periculoſus, ſi nimirum hic affectus ab abundantia ſeminis ſeu ſtagnatione liquoris glandularum vaginalium & abſtinentia a coitu oritur, tunc venus licito modo celebrata abſque alio remedio utplurimum fideliſſima curatrix eſſe ſolet; quamvis etiam feminæ extra

tra conjugium idem remedii genus absque medici conſilio, ſed proprio inſtinctu quæſiviſſe legantur. Ex narratione enim Benedicti Sylvatici refert Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent.* 2. *Hiſt.* 69. *p.* 258. *ſeq.* Patavii maniacam mulierem per plateas ambulantem de rebus venereis ſemper locutam, interdum baculo obvias aggreſſam eſſe; quæ tamen, cum tandem in noſocomio S. Franciſci detineretur, ab ejus loci miniſtris ſæpius compreſſa convaluit, quia a ſeminali humiditate, diutius retenta & putrida, elevatis vaporibus mania hæc orta fuit. Virguncula quædam, colore nigella, macilenta, garrula, iracunda, inquieta, ad venerem maxime proclivis, & quæ ſolum de amoris illecebris loquebatur, frequenter loca pudoris, quorum attactu maxime gaudebat, ſcalpens, ubi uri ac prurire incipiebat, virorum amplexu exardeſcens, irrigari humectarique poſtulans, inexplebili coeundi deſiderio tenebatur. Quo cum uti non liceret, ſubito eam invaſere vomitus, ingens horror, cardialgia, cephalalgia, difficilis reſpiratio, cordis pulſus, ventriculi ſubverſio, nauſea, proſtratus appetitus, timor, mœſtitia, febris, horribiles imaginationes, cordis compreſſio, animi deliquium, epilepſia &c. Demum cum illa per multos dies his malis eſſet dilacerata, ſubridens ad mentem redibat. Cum vero nullis unquam auxiliis levari poſſet, parentes eam viro locarunt, ſicque validus & nervoſus coitus, cum juvene robuſto atque officio connubiali ſtrenue perfungente, hunc furorem ſedavit. vid. Zacut. Luſit. *de Prax. medic. admirab. Lib.* 2. *Obſ.* 93. *Oper. Tom.* 3. *fol. m.* 64. *ſeq.* De amore inſano ſequentem obſervationem annotavit Ambroſius Stegmannus: Virgo triginta trium annorum, nomine *Anna Kronmeyerin* in præfectura Oſtravienſi Ducatus Anhaltini habitans, temperamenti ex prædominio bilioſi in laboribusque ruſticis nata, cum deſponſata videret, ſponſum Marti nomen ſuum dediſſe, id dolere incipit & melancholica incedit; valedicente tandem ſponſo, crinibus hinc inde ſparſis circa mammas denudata prodit in publicum, & membra, qui-

 bus

bus mulier eſt, ſcalpit, in cæterisque laſcivam Satyram, non virginem, refert. His itaque moribus peregrinis & inſanis magiſtratus illius loci, hujusque cognati perterriti, plagis illam repellunt, & conclavi incluſam diligenter cuſtodiunt. Licet agnati etiam varia hinc inde generoſiſſima medicamenta adhiberent, furoris tamen perſeverat prior ſtatus; accedentes mares ad concubitum verbis geſtibusque invitat, delira laſcivis intermixtis ſermonibus frequenter garrit, nullis cibi & ſomni, ſed ſponſi continuo meminit, & αὐτοχειρίαν ubivis intendit. Tandem medicus legitimum conjugium tanquam optimum curationis remedium ſuadet, quod etiam miſellæ huic optime profuit. Illuſtris enim vir capitaneum, ſub cujus vexillo militabat ejus ſponſus, ſolicitabat, ut eum manu mitteret, & ſimul cogeret ad ineundum conjugium cum hac inſana; quod etiam factum. Hinc indies magis magisque ſanitatem priſtinam recuperavit, & poſtea modo interdum immani cephalalgia correpta fuit. vid. *M. N. C. Dec.* 3. *An.* 1. *Obſ.* 11. *p.* 25. *ſeq.* 28. *ſeq.* Quo loco aliud exemplum ex Dominico Leono reperitur. In oppido ſcilicet Zuccari mulier temperaturæ bilioſæ, quæ ex amore inſaniebat, unumquemque obvium factum, ut ſecum coiret, invitabat, renuentes lapidibus inſectabatur. Quem tamen furorem coitus ſedavit, nupſit ruſtico, ſic convenientem adepta medicinam reſtituta eſt. vid. etiam Joh. Schenck. *Obſ. Lib.* 1. *fol.* 142. & *Lib.* 4. *fol.* 557. Virginem tali affectu laborantem, nocturno tempore a ſeptem robuſtis viris compreſſam mane ſanam abiiſſe, ex Platero refert Chriſtianus Johannes Langius *l. a.* Mulier quædam nuda per civitatem in quadam Italiæ urbe peragrans cum in officinam meritoriam incidiſſet, nocte tota a quindecim viris venere defatigata diluculo menti reſtituta diſceſſit, juxta Alexand. Benedict. *de Re medic. Lib.* 1. *cap.* 28. *fol. m.* 23. Dominicus Panarolus *Pentec.* 3. *Obſ.* 9. *p.* 68. de hac furoris uterini curatione ita ſcribit: aliquando mulieres in veneream voluptatem ruunt, & libidinis œſtro utuntur, magis cauſa morbi,

bi, quam alterius rei. Viſæ enim ſunt ſæpius feminæ alioquin caſtæ & prudentes, quæ furore uterino correptæ, meretricum more, verbis petulantibus actus laſcivos & inconcinnos ſine pudore faciebant; quæ poſtmodum in ſe reverſæ & ſuper res geſtas monitæ maximopere erubeſcebant. Mulierem nos vidimus, pergit idem Panarolus, inter plurimas, quæ tantum conſilio & mente valebat, quantum in utero gerebat, tunc etenim cum prudentia & pudore maximo exemplar aliarum erat. Sed elapſo puerperio, non multo poſt illecebroſior & laſcivior fomenta libidinum impudicisſima mente quærebat, donec iterum utero gereret, quo facto mens & ratio ad ſuas ſedes regrediebantur.

§. 30.

Quandoque etiam tales laſcivæ atque pruriginoſæ feminæ eo dementiæ perveniunt, ut humano ſeu virorum congreſſu minime contentæ, clanculum cum brutis coitum exerceant, uti paulo ante de Semiramide equum adamante diximus. Quod confirmat etiam Henricus Salmuth. *Comment. in Guidon. Panci-rol. de Reb. deperdit. Lib.* 2. *Tit.* 10. *p.* 177. Semiramis, inquiens, auctore Juba, tam immoderatæ libidinis fuit, ut equum abominabili probro turpitudineque adamaverit, & exinde deformis tauri amor in Paſiphae non fabuloſus ſed hiſtoricus eſſe credatur. Hæc autem Paſiphae tauri amore capta, arte Dædali, qui eam ligneæ vaccæ incluſit, voti compos facta eſt. Unde minotaurum peperiſſe ſcribitur; hinc Virgilius *Æneid. Lib.* 6.

Salaces cum brutis coeuntes.

O fortunatam, ſi nunquam armenta fuiſſent,
Paſiphaen, nivei ſolatur amore juvenci.

vid. Joh. Bened. Sinibald. *l. a. p.* 203. Sic mulier quædam, propter ſeminis, ex diuturno mariti morbo, retentionem, furorem uterinum inciderat, & canum congreſſum appetebat, juxta Felic. Plater. *Prax. med. Tom.* 1. *Cap.* 3. *p. m.* 101.

§. 31.

Interdum etiam juxta Joh. Petri Lotichii *Commentar. in*

T. Pe-

Salacium puellarum inſtrumenta.

T. Petron. Arbitr. Satyric. Lib. 2. *p.* 300. ad voluptatem & laſcivam titillationem ſalaces quædam puellæ ac meretriculæ dicuntur nodulos certos, ad formam virgæ virilis, conſarcinare, quibus ad pruritus ac titillationes abutantur. Cujusmodi laſcivas capellas tribadas ſeu fricatrices medici indigitant, eo quod inter ſeſe invicem infames iſtos actus frictionibus aut peſſulis arte confictis exerceant. Inſtrumentum autem, quo ejusmodi ſalaces abuti ſolent, vocatur phallus, vel faſcinum, quod quamvis alias proprie pro incantamento accipiatur, in hoc tamen caſu per ſcorteum hoc faſcinum membrum virile coriaceum intelligi debet.

§. 32.

Virorum ſalacitas.

Non autem tantummodo inter feminas, ſed inter viros quoque inſignis ſalacitatis exempla reperiuntur, ſiquidem imperator Proculus ex captis centum Sarmaticis virginibus decem prima nocte inivit, omnes autem intra quindecim dies conſtupravit; & Hercules quinquaginta virgines una nocte omnes mulieres reddidiſſe ſcribitur, vid. Henr. Cornel. Agripp. *Oper. Part. poſter. cap.* 63. *p.* 155. *ſeq.* Carolo Muſitano conſtitit de quodam ſcorto, quod una nocte tricies a quodam monacho compreſſum per menſem laſſatum decumbere oportuit. Clericos autem non habitu tantum ſimulare aut profiteri caſtitatem ac veneris faſtidium, ſed & ſerio fugere & odiſſe feminas, credat Judæus Apella, non ego, qui nunquam mihi perſuadere potui, ſub omni cucullo inviolatam æque ac juratam hoſpitari caſtitatem, inquit Philippus Jacobus Vintherus *Diſp. inaugur.* περὶ τῶν ἀπράκτων μωρίων *Cap.* 9. *p.* 27. Imprimis huc pertinet, quod Thomas Lanſius *Conſultat. Orat. contra Ital. p. m.* 843. de Italorum ſalacitate ſcribit, illa, inquiens, quæ contra naturæ leges fuerit libido, Italiam omnino facit Sodomam. Et cum ſylva veluti ſuppetat horrendorum exemplorum, illud tamen hic præcipue memorandum eſt, quod Petrum Aloiſium Farneſium, Parmæ & Placentiæ ducem, Pauli III. pontificis maximi filium, habet auto-

rem.

rem. Hic namque infami libidine æſtuans Coſmum Gerium, epiſcopum Faventinum, primo blanditiis fruſtra tentatum, ad extremum ſpecie colloquii in ſecretius cubiculum ſevocatum, ope ſervorum, quamlibet renitentem, per vim compreſſerat: unde ille ex mœrore animi paulo poſt deceſſit &c. Julium Cæſarem pronum & ſumptuoſum in libidines fuiſſe, plurimasque & illuſtres feminas corrupiſſe, in quibus Poſtumiam Servii Sulpitii, Lolliam Auli Gabinii, Tertullam M. Craſſi, etiam Cn. Pompeji Muciam, ſcribit Cajus Suetonius Tranquillus §. 50. *p. m.* 49. Multa quoque exempla congeſſit Johannes Benedictus Sinibaldus *l. a. p.* 191. *ſeqq.* de Julio Cæſare, Octavio Auguſto, Tiberio Cæſare, Caligula, Claudio, Nerone, Sergio Galba, Othone, Aulo Vitellio, Veſpaſiano, Mæcenate, Dario, Dionyſio, Xerxe, Sardanapalo, Alcæo, Heliogabalo Comnado, Caracalla &c. & fortaſſe juxta totam imperatorum atque regum eorumque miniſtrorum ſeriem. Quibus totus veterum poetarum chorus annecti poſſet, de quibus ex Petri Lotichii præfatione *in T. Petron. Arbitr. Satyric.* ſequentia adducere liceat: Quis non didicit Pindarum, novem Lyricorum præcipuum, verſus in puerum, Theoxenum dictum ſcriptitaſſe, quibus ſe radiis ex illius facie prodeuntibus emicantibusque mirabiliter affici canit? Eidem, cum petiiſſet, ut, quod in vita optimum eſſet, ſibi daretur, in theatro accidit, ut in genibus dilecti ſibi pueri moreretur anno ætatis quinquageſimo quinto, prout e Suida affert Gyraldus: Similis commatis eſt Sapphus poema. Quæ cum promiſcue tum pueros, tum puellas arderet, adeoque inſanis amoribus diffamata eſſet, partim tribas dicta, partim Horatio atque Auſonio appellitata fuit maſcula, quod marium vices in puellis obiret. Quis neget, Anacreonta usque e vino puerisque deditum, ut non in deos quidem, ſed pueros hymnos ſcripſerit? Eos enim deos ſuos appellare aſſolebat. Quis Callimachi amores? quis Sulpitii pruritus? quis Apuleji in epigrammatis petulantiam redarguit? Accedit, quod tam univerſa comicorum,

F quam

quam tragicorum turba tantum non laſcivis amoribus inſanit. Plautus, Accius, Terentius atque alii, quibus non ſunt in deliciis? Et tamen ſi amores cauſſeris, illi jamdudum exilio acerbo digni erant. Pariter de tragicis ſtatuendum. Id quod ſcripti genus, etſi gravitate ſua omnia ſuperet, nihilominus tamen amoribus minime abſtinet. Hippolytus id arguit apud Senecam, qui non niſi infandum exhibet Phædræ novercæ libidinis incendium. Idem argumentum præbet Medea & Agamemnon penes eundem. Quodſi maxime priſci poetæ Orphei Argonautica ſpectemus, undique fere inſaniam Medeæ erga Jaſona amoris rabiem comperiemus. Imo, quid aliud eſt ingens illa Homeri, gravisſimi poetarum, Ilias, niſi adulterium Paridis & Helenæ, turpis adulteræ iſtius raptus & dein ſubſecutum bellum? Quid aliud Odyſſea, quam Penelope, in abſentia Ulyſſis ſui veſanis tot procorum amoribus titillationibusque vexata? Idem, pater poetarum, omnisque philoſophiæ ac ſapientiæ fons, Homerus, inquam, annon adulterium Martis & Veneris ſatis improbe deſcribit? Virgilium quoque, licet Parthenium pudoris cauſa vocatum, divinis ſuis operibus amores ipſosque concubitus immiſcuiſſe, evidens fit e *libr.* 3. *Georg.* de ſubmiſſis in gregem maritis, itemque *libr.* 4. *Æneid.* de Æneæ & Didus, & *lib.* 8. de Veneris & Vulcani congreſſu. Cui non notiſſima Catulli ſupina laſcivia? qui tam pueris abuſus, quam puellis, tam Lesbiam arſit, quam Juvencium? ut alia obſcœniſſima nequitiæ vocabula de induſtria non attingam, quibus ille undique eruditam carminis, imprimis hendecaſyllabici, facultatem conſpurcavit. Cui non Galli ſenis petulantia innotuit? Is autem Lycoridis congreſſus tanta ſpurcitie circumſcribit, ut craſſius vix potuerit. Quem fugit Horatii laſciva curioſitas? Is autem ita intemperantis fuit libidinis, ut ſpeculato cubiculo ſcorta haberet diſpoſita, quo coitus imago ipſi referretur, quocunque reſpexiſſet, cujus poeſis tota ferme turpibus flagitiis excurrit. Quid vero de Martialis inprimis exprompta nequitia aſpergam? Hic tam monſtroſa libi-

libidine undique turget atque exuberat, ut vix pagina ſit, quæ non præſcribat fellationem, pædicationem, maſturbantes & ejusmodi probroſa execrandaque vitia alia. Martiali optimo jure conferri hac in turpitudine poteſt debetque Juvenalis, inſana non minus venere æſtuans. Idem enim de induſtria copulam maris & feminæ explodens, inverſam venerem turpesque puſiones præfert, tanquam quorum lectus lite & jurgiis careat. Ovidium, adulterii magiſtrum, numquid omnia fora, omnia clamant pulpita? Ille autem tantum non concubitus ſuos adulteriaque nimis licentioſe propalat, ob quæ in Pontum exul miſſus eſt, imo etiam mille veneris illecebras, modosque mille nimis petulanter exprimit. Ovidio ſicut coætanei Tibullus & Propertius, ita mœchi coæquales, atque æque improbi &c. Hæc Lotichius. Sed quis omnia ſalacitatis exempla ex omnibus nationibus colligere poterit? quorum tamen nonnulla in Spermatologia noſtra *Cap. V.* §. 18. *p.* 246. *ſeq.* recenſentur.

§. 33.

Exemplum profligatiſſimi cujusdam ſcortatoris Florentini, cui nomen Mannus, legimus in Thom. Lanſii *Conſultat. Orat. contr. Ital. p. m.* 841. In illo regno, quicunque extra matrimonium commiſcebantur mulieribus, deprehenſi ſacerdotis imperio die feſto in proceſſu cleri ad populi adeſſe jubebantur & retentis femoralibus nudi eccleſiam circumire, ardentemque cereum manu geſtare: ſi quis ſe illi pœnæ ſubmittere nollet, auro noxam redimebat. Mannus itaque, cum ſæpius pecunia ſe liberaſſet, rurſus deprehenſus pœnam ſubire, quam argentum dare maluit. Dieque dicta prodit ad eccleſiam longo contectus pallio, quo in media turba virorum feminarumque depoſito, omni ex parte nudus comparet, at indignante ſacerdote, & femoralia reſumere injungente: minime gentium, inquit Mannus; nam pudenda hæc, quæ peccaverunt, ea potiſſimum dare pœnas decet. De Heliogabali laſcivia ſcribit Ludovicus Cælius Rhodiginus *Lection. antiqu. Lib.* 11. *cap.* 13. *fol.* 408. *ſeq.* quod tan-

tus imperator & bona ſenatus pars cum uxoribus cæteriſque matronis ac virginibus nudis nudi ipſi lavari occeperint. Quin illis dignitates contribuebantur, qui renudatas ad imperatorem filias remitterent, quique nudi item inter nudos cum eodem decubuiſſent in cœna. Ut orbi terrarum triennio proſtibulum Roma fuerit. Item paulo poſt alius imperator latiſſima ſibi paravit atria, ubi miſcellanea matronarum, juvenum, puellarum nudior turba cum imperatore pila colluderet. Plura de Heliogabali & Neronis veſano amore vide Philipp. Camerar. *Hor. ſubciſiv. Cent. II. cap.* 42. *p.* 178. *ſq.* Summæ libidinis ejusque vindictæ exemplum de Dionyſio refert Claudius Ælianus *Var. Hiſtor. Lib.* 9. *Cap.* 8. *fol. m.* 453. *ſeq.* ſcilicet Dionyſius junior in Locrenſium urbem veniens maximas civitatis domus occupavit, easque roſis, ſerpillis aliisque id genus floribus ſtravit: & filias Locrenſium accerſebat, atque rem cum eis habebat intemperatisſime. Cujus flagitii nefandam ſpurcitiem non impune tulit. Cum enim regnum ipſius per Dionem eſſet ſublatum, tunc Locrenſes uxorem Dionyſii una cum filiabus proſtituerunt, ſineque intermiſſione ſtuprum eis intulerunt, præſertim qui affinitate vel cognatione cum iis virginibus, quas Dionyſius corruperat, erant conjuncti. Cum vero libidinem in eis explevisſent, compunctas acubus intra digitorum ungues interemerunt, oſſaque in mortariis contuderunt, & carnes ab oſſibus abſtractas, ſi quis non guſtaſſet, eum diris devoverunt. Quod vero reliquum ex ipſis eſſet, mari demerſerunt. At Dionyſius Corinthi multas variasque vitæ neceſſitudines expertus, ob extremam mendicitatem, tandem metragyrta ſtipem ab hominibus cogendo, tympanoque pulſando & tibiis modulando vitam exegit. Et *Cap.* 49. *fol.* 460. cujusdam adoleſcentis Athenienſis meminit, qui ſtatuam bonæ fortunæ deperibat, & ſæpe in complexus ejus ſe inſinuans oſcula dabat: atque inde raptus in furorem œſtroque percitus propter cupiditatem in ſenatum veniebat, & enixe rogabat, ut ſibi eam liceret utcunque magno emere. At cum

nihil

nihil proficeret, multis redimita tæniis & coronis, imagine coronata, oblato ſacrificio ipſaque pretioſo veſtitu exornata, profuſis innumerabilibus lacrymis ipſe ſibi mortem conſcivit. De adoleſcentis ſalacitate & ſatyriaſi ex ſatyrio orta, v. El. Henckel *de Philtr.* §. 13. *p.* 23. *ſeq.* De viro ſatyriaſi a cantharidibus laborante hanc obſervationem ex Bartholomæo Cabrolio recenſet Jobus a Meekren *Obſerv. med. chir. Cap.* 34. *p. m.* 141. Laborabat quartana æger, in qua profliganda ſtrigæ auxilium petierat, quæ illi poculum ℥j ſeminis urticarum, cantharidum ʒij. ſesqui drachma cæparum, aliisque concinnarat: hinc ita exarſit in venerem, ut uxor ejus per omnia ſacra dejeraret, ſe ab binoctio octuageſies ſepties initam; interea ſæpius in lectum ſemen effudiſſe, imo nobis adſtantibus brevi momento ſe polluit, pedem lecti pro femina ſubagitans, paulo vero poſt libitinariis pollinctoribusque ceſſit. Ibidem etiam aliud exemplum viri, quadragies una nocte uxoris ſuæ hortum fodentis, meminit. De ruſtico leproſo ſumma ad actus venereos percito, v. Roſ. Lentil. *Eteodrom. Januar. p.* 40.

§. 34.

Aliud ſalacitatis ab apoplexia exemplum recenſet Caſparus Theophilus Bierlingius *Theſaur. theor. pract. pag.* 21. de paſtore, qui ſextum ſupra ſexageſimum ætatis annum agens prætèrlapſo anno apoplexia corripiebatur, quæ in paralyſin ſiniſtri lateris terminabat, ita ut hoc tempore vix incedere poſſet, loquelæ vero uſu adhuc privatus manebat. Ab eo tempore, quo apoplexia correptus fuit, tanto veneris ardore flagrabat, ut ejus femina, quacum per viginti quatuor annos in matrimonio vixerat, ad perferendos innumerabiles venereos actus ferme non fuerit ſufficiens. Item fidicen, vir quadratus & validi femoris & ruffus, vehementi veneris deſiderio ſubinde tenebatur, adeo ut nullis, etiam per exigua horarum intervalla repetitis congreſſibus ſatiari poſſet. Suaſu autem medici, ad evitandas vagas libidines conjugium inibat, ac villici cujusdam filiam ſatis robu-

ſtam & vegetam in uxorem ducebat. Quam cum etiam poſt tempus delaſſaſſet, ad ingenium rediit fornicator inſatiabilis, eandem a medico, cum oblatione equi caſtrationem efflagitans, diuturno nitri præparati uſu absque caſtratione a libidine liberatus eſt. vid. Baldaſſ. Tim. a Güldenklee *Lib.* 3. *Caſ.* 52. *pag.* 197. *ſeq.*

§. 35.

an mares, an feminæ ſalaciores?

Utrum vero mares, an feminæ per ſe ſalaciores ſint, majoremve in rebus venereis voluptatem ſeu delectationem ſentiant? diſſentiunt autores, quorum alii maribus majorem, quam feminis voluptatem adſcribunt, & quidem ipſe Hippocrates *de Genitur. Sect. III. fol. m.* 12. inquiens: in venere exercenda longe minorem, quam vir, voluptatem mulier percipit, vir vero etiam diuturniorem.

mares.

Talem autem veneream titillationem ideo in maribus majorem eſſe multi credunt, quia in viris major ſpirituum, caloris atque ſeminis quantitas deprehendatur, atque ab uberiori ſeminis fuſione major ſuavitas ſentiatur, præſertim cum ſemen in excretione per longiorem penis canalem prodiens majorem voluptatem excitet, ſiquidem tanta eſt voluptas, quam longus ductus, per quem voluptifera materia ſeu ſemen ſpumeſcens atque ſpirituoſum tranſit. Deinde, quia viri, tanquam perfectiori temperie gaudentes, magis exquiſito & acuto ſenſu, quam mulieres, præditi ſint, ideo quoque partes ipſorum genitales ab amati & delectabilis objecti præſentia vel impresſione tali ſenſu vehementius afficiantur & ſtimulentur: Quia etiam perfectius ſit agens, quam patiens, ideo etiam viri, tanquam perfectiores, majorem & perfectiorem conditionem, ſeu delectationem, præ feminis obtinere debeant. Et ſecundum Nicol. Venette *l. a. Cap.* 4. *Art.* 3. *p.* 170. Ceux, qui veulent, que les hommes ſoient plus laſcifs, que les femmes, diſent, que l'homme a plus de chaleur; qu'il a le pouls plus ferme, la reſpiration plus forte; les entrailles & la peau plus chaudes & plus ſerhes: qu'il a plus de poit; qu'il vit plus long temps;

qu'il

qu'il eſt plus agiſſant: enfin qu'il attaque les femmes avec plus de vigeur.

§. 36.

Alii e contra mulieribus majorem ſalacitatis atque venereæ voluptatis gradum aſſignant, e. g. Johannes Benedictus Sinibaldus *Geneanthrop. Lib.* 2. *Tract.* 2. *cap.* 21. *p.* 201. de feminis ſalacibus acturus inquit: Sexus muliebris, ut in reliquis imbecillior, ſic libidine molli præcellit viris. Secundum Georgii Philippi Nenteri *phyſiolog. med. cap.* 5. *membr.* 2. *p. m.* 258. feminæ ad otium atque venerem magis pronæ ſunt, & nonnunquam quædam, proſcripta omni verecundia, quæ tamen feminis ob animi meticuloſitatem magis, quam viris, propria eſt, ipſos viros ad ſui compreſſionem invitant: quædam vero deſiderium hocce ardens ob verecundiam ſupprimentes furore corripiuntur uterino &c. vid. etiam Joh. Georg. Simon. *Præſid. academ. Diſſert.* 13. *Theſ.* 15. *p.* 606. *ſeq.* Sic Daniel Tauvry *Nov. Anatom. cap.* 12. *p.* 195. ſcribit: Si ſemen in viris cauſa exiſtit amoris, feminæ quoque, utpote amori pariter deditæ, non minus ſemine erunt præditæ: Similes enim effectus non niſi a ſimilibus cauſis produci poſſunt: Interim tamen alias non habent proprietates, quas ſemen in maſſam ſanguineam reverſum producit. Femineum ergo ſemen non in ſanguinem reverti oportet. Inde eſt, quod illarum amor ſit magis vigoroſus, paſſio illarum violentior & magis dominans, illarumque voluptas major & diuturnior. Inquit etiam Johannes Jonſtonus *Thaumatograph. nat. Claſſ.* 10. *cap.* 5. *art.* 4. *p.* 467. quantum ad libidinem pertinet, magis accendi ſexum femineum, quam maſculum, in communi jam eſt opinione, ſed & in ipſo gradus concedi, nemo negabit. Quia enim in pallidis & macilentis acri mordacique ſucco genitales imbutæ ſunt partes, humectarique inde poſtulant; rubicundis & obeſis ſalaciores eſſe conjicit Lev. Lemnius *L.* 2. *de Occult. Nat. mir. cap.* 37. Ruta libidinem in viris extinguit, auget in feminis. Secundus philoſophus cum omnem mulierem fornicatricem

Secundum alios mulieres.

eſſe

eſſe ſibi perſuaſiſſet, &, facto ipſo periculo, de matre id verum cognoviſſet; non re quidem peracta, ſed adulterum filium admiſſura, ſi voluiſſet exequi; ab Adriano, quid eſſet mulier? interrogatus, ſubjecit: hominis confuſio, inſaturabilis beſtia, continua ſollicitudo, indeſinens pugna viri, incontinentis naufragium, humanum mancipium &c. Secundum verba Nicolai Venette *de la Generat. de l'homme Cap.* 3. *Art.* 2. *p.* 117. les femmes ſont beaucoup plus amoureuſes, que les hommes; & comme les paſſeraux ne vivent pas long-temps, parce qu'ils ſont trop chauds, & trops ſucceptibles de l'amour, les femmes auſſi durent beaucoup moins, parcequ'elles ont une chaleur devorante, qui les conſume peu à peu: Idem *Art.* 3. *pag.* 170. *ſeqq.* rationibus, paragrapho antecedente pro majori virorum ſalacitate adductis, reſpondet, aliis argumentis feminarum prærogativam defendit; tandemque concludit, que les femmes ſont beaucoup plus laſcives, & plus amoureuſes, que les hommes. Et ſi la crainte & l'honneur ne les retenoit, bien ſouvent dans la violence naturelle de leur paſſion, il y en auroit tres peu, qui n'y ſuccombaſſent, ou pour nous arreſter, ou pour nous engager, elles feroient pour nous ce que nous avons accouſtumé de faire pour elles. Dicit etiam Ovidius *Lib.* 1. *Amor. Eleg.* 8. de femina:

Caſta eſt, quam nemo rogavit.

Et *Eleg.* 2.

Si ruſticitas non vetat, ipſa rogat.

Sic Propertius amaſiæ, quæ ipſum ſuper libidine arguebat, *Lib.* 3. *Eleg.* 8. ita reſpondet:

Objicitur toties a te mihi noſtra libido,
Crede mihi, vobis imperat illa magis:
Vos, ubi contempti rupiſtis frena pudoris,
Neſcitis captæ mentis habere modum.

Hanc ſententiam confirmare etiam videntur iſtæ feminæ, quibus propter morboſum uteri prolapſum ipſe uterus abſciſſus ſeu ex-

exſectus eſt, poſteaque non minore cum voluptate coeunt & ſemen excernunt, quod hiſtoria ex Carpi *Iſagog. in anatom.* probat Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. edition. prim. Lib.* 1. *cap.* 23. *p.* 135. Feminarum ſalacitatem magnam probare quoque videntur bombyces ſeu muſcæ majores bombycinæ, quas non modo poſt ablatum caput volare, ſed & generare, feminam decollatam marem alacriter admittere & aliquot poſt horis ova confertim parere ſcribit Oligerus Jacobus de *Ranis & Lacert. Cap.* 3. *p.* 58. de Robertus Boyle *de Utilit. Philoſoph. natur. Part. II. Sect. I. Exercit.* 1. §. 27. *p.* 115. inquit: Papiliones illi, in quos bombyces metamorphoſi ordinaria converti ſcimus, non tantum inſtar muſcarum vulgarium aliorumque aliquot inſectorum alatorum, amputato capite aliquantiſper vivere, ſed etiam capite truncati procreationis operibus apti permanere poſſunt; prout haud ita pridem decollatis utriusque ſexus papilionibus expertus ſum. Quamvis enim mas, cui prius amputatum eſt caput, nequaquam adduci poſſet (quæcunque inſecti illius eſt ſalacitas) ut feminam comprimeret: decollata tamen femina marem alacriter admiſit. Et licet poſt horas aliquot coitu inſumptas ita requieverit immota, ut mortuam per multas horas cogitaret Boyle, non ſolum, quia omnem penitus motum perdiderat, & in thorace ſatis magnum apparebat foramen, quod a parte aliqua corporis ſimul cum capite a trunco disrupta factum videbatur; verum etiam quoniam eodem permanſit ſtatu, idque per plures horas, ultra tempus, quo poſt coitionem cum mare hujus generis animalcula ſolent ordiri prolificationem. Tandem vero, poſtquam jam diu de vita ejus deſperatum eſſet, ova fœtare tam confertim cœpit, ut vel exiguo temporis intervallo eorum plura in manu mea deponeret. An tamen ratione ſalacitatis mares mulieribus quicquam cedant, ob varia ſalaciſſimorum virorum exempla dubitare videtur Henricus Salmuth *Comment. in Guidon. Pancirol. de Reb. deperdit. Lib.* 2. *Tit.* 10. *p.* 177. qualia ſalaciſſimorum virorum exempla in Spermatolog. noſtra *Cap.* 5. §. 18.

pag. 246. *ſeqq.* reperies. Lepores & cuniculi minus horulæ ſpatio poſt partum marem admittunt juxta Guiliem. Harvæum *de Part. p.* 530 Et quis quæſo ſalacitatis differentes gradus ſufficienter indagare & explicare poterit? notandum tamen mihi videtur, quod hermaphroditus ille, nomine Hannah Wilde (cujus ex Actis Anglicanis & Miſcellaneis Naturæ Curioſorum in Spermatolog. noſtr. *Cap.* 13. §. 17. *&* 28. *p.* 580. *&* 601. mentionem fecimus) ſe ad utrumque ſexum comparatum eſſe, ſed feminis miſceri præoptare aſſeruerit. De ſalacitate virginum, feminarum ſterilium, & gravidarum vid. Nicol. Venette *l. a. Cap.* 4. *Art.* 2. *pag.* 161. *ſeqq.* Abſque dubio ſalacitatem experiuntur etiam puellæ & mulieres vulvæ pruritu laborantes, de quibus evolvatur Muliebr. noſtr. *Sect. I. Cap.* 5. §. 13. item puellæ cito maturæ, atque ante ordinarium pubertatis tempus pueris atque juvenibus acceſſum & congreſſum admittentes, uti non modo de Quartilla paulo ante adduximus, ſed etiam mature nimis concipientes atque parientes, qualia exempla alibi adducturi ſumus.

CAPUT II.

De caſtitate ſeu pudicitia.

§. 1.

Caſtitas virorum.

MInime tamen omnes puellæ atque mulieres eodem ſalacitatis gradu vexantur, ſed inter feminas æque ac viros pudicitiæ & caſtitatis exempla occurrunt, uti de his nonnulla in Spermatologia noſtra hinc inde recenſuimus, e. g. de piſtoris ſervo, qui, cum a monacho Franciſcano multa de caſtimoniæ laudibus e concionibus memoria concepiſſet, paulo poſt, ut caſtus vivere poſſet, cultro ſibi ſcrotum cum ambobus teſticulis, intacta virga, abſcidit. v. Joh. Helwig. *Obſ.* 131. *p.* 356. De monacho ob zelum caſtitatis colem ſibi & quidem pubetenus abſcindente vid. Anton. Beniven. *de abdit. Morbor. Cauſ. Cap.* 68. *p.* 234. Plebejus quidam & ſimplex homo in concione a monacho Dominicano caſtitatem & abſtinentiam a venereis actibus maxime

maxime commendatam audiverat, unde ſubito eam fovet Domino, omnem conjugalem congreſſum ſerio fugiens; indeque poſtmodum delirans a religioſisſimis viris vix perſuaderi poterat, ut antiquum ſuum licite repeteret. vid. *M. N. C. Dec.* 2. *An.* 9. *Obſ.* 189. *p.* 353. Cibeles ſacerdotes, ut caſte viverent, membrum genitale quodam lapide ſibi abſcidiſſe, refert Philippus Camerarius *Horar. ſubciſ. Cent. I. Cap.* 1. *p.* 2. & Athenis alii bibebant cicutam, ut vim membri genitalis amitterent. Ob omnimodam veneris abſtinentiam mortuus dicitur Jaime, Johannis primi, Portugalliæ regis nepos, cumque ipſi multoties medici de venere ineunda turpiter conſulerent, quod ex impuri ſeminis copia ægrotare animadverterent, tamen illis hac parte obedire nunquam voluit, ſed ex dicto languore ſic Romæ anno 1459. obiit. vid. Caſp. a Reies *Camp. Elyſ. Qu.* 46. *p.* 572. Item imperator Conſtantinus, ne adoleſcens decederet, veneri ut indulgere vellet ſuadentibus fertur reſpondiſſe: ſe magis velle adoleſcentem mori, quam conſpurcatum vivere. Comes etiam Monterrei Hiſpanus in ſimili caſu reſpondit: non poſſe aliquid corpori eſſe utile, quod animæ noceat. Michael Verinus ob caſtitatis zelum, crudelibus morbis jam conflictatus ad amicum Paulum ſcripſit:

Promittunt medici coitu mihi, Paule, ſalutem,
Non tanti vitæ ſit mihi certa ſalus.

Sic Ludovicus Francorum rex mori maluit, quam ita ſe a morbo liberare. vid. Henr. Kormann. *de Virgin. Jur. Cap.* 83. *p. m.* 186. Valerius Maximus *Lib.* 4. *cap.* 5. *p. m.* 391. ſequens exemplum refert: excellentis pulchritudinis adoleſcens, nomine Spurina, cum mira ſpecie complurium feminarum illuſtrium ſollicitaret oculos, ideoque viris ac parentibus earum ſe ſuſpectum eſſe ſentiret; oris decorem vulneribus confudit, deformitatemque ſanctitatis ſuæ fidem, quam formam irritamentum alienæ libidinis eſſe maluit. Idem *cap.* 3. *p.* 376. Xenocratem refert tantæ fuiſſe caſtimoniæ, ut Phrynem, nobile ſcortum Athenienſe, quæ,

pignore cum quibusdam juvenibus poſito, an temperantiam ejus corrumpere poſſet, juxta eum, vino gravem, in pervigilio accubuerat, nec tactu, nec ſermone aſpernatus, quoad voluerat in ſinu ſuo morari, irritam propoſiti dimiſit. Meretricula deridentibus ſe adoleſcentibus, quia tam formoſa tamque elegans poti ſenis animum illecebris pellicere non potuiſſet, pactumque victoriæ pretium flagitantibus: de homine ſe cum iis, non de ſtatua pignus poſuiſſe, reſpondit. Plura etiam pudicitiæ exempla recenſet idem autor *Lib. 6. cap.* 1. §. 2. *ſeqq.* De pudicitia veterum, & libidine, quæ oritur a nuditate corporum vid. Philip. Camerar. *Horar. ſubciſiv. Cent. II. cap.* 41. *p.* 174. *ſeq.* ubi varia pudicitiæ exempla reperies. Creditur Euripides in mulieres odio fuiſſe præcipiti & inde dictus miſogynes: ſive quia natura eſſet talis, abhorreretque a mulierum cœtu: ſive quod duas habuerat uxores ſimul, quum id decreto ab Athenienſibus facto jus eſſet, juxta Ludov. Cælii Rhodigin. *Lection. antiq. Lib.* 24. *cap.* 10. *fol.* 927. Quod autem deſperandum non ſit, nos poſſe caſte vivere, etſi magna ſit fragilitas carnis, ex Bernardino Scardeonio allegat Marcus Antonius Ulmus *Phyſiolog. Barbæ Sect. III. cap.* 4. *fol.* 213. ubi ita pergit: Laborandum ſane nobis eſt, & contra difficultatem ſtrenue pro viribus obluctandum, ut brevi peracto certamine perenni ævo, in cœlo ſumma cum tranquillitate quieſcere valeamus. Dicas fortaſſe grave opus, & durum fateor, ſed glorioſum, ſed ſalutare. Legitur apud Platonem de Icco Tarentino, quod, cum in Olympiacis & aliis certaminibus frequenter pugnaret, tam artificioſo circa hæc ſtudio ſit uſus, ut nullam unquam in toto exercitationis ſuæ tempore venerem norit. Idem de Chriſſone & Aſtylo, & Theopompo, & aliis quamplurimis agoniſtis refert, qui tametſi robore & bona valetudine corporis proniores eſſe debuerant ad libidinem, quam qui ſunt corpore imbecillo, tamen victoriæ cupiditate, quam conſequi ex ejusmodi palæſtra cupiebant, continentisſime vixerant: quod ſcirent uſum veneris viribus plurimum officere.

De

De Combali caſtitate admiranda ex Anton. Ulmi *Phyſiolog. Barb.* adduximus in Spermatol. noſt. *Cap.* 2. §. 21. *p.* 67. *ſeq.* Apud Perſas quidam clericorum matrimonium abjurantes, ne venerem illicitam ſeu ſcortationem incurrant, partes ſibi genitales certis annulis perforari ſeu infibulari curant, vid. Walther. Schultz. *Oſt-Indiſch. Reiſe-Beſchr. fol. m.* 143.

§. 2.

Nec minus in ſexu ſequiori varia caſtitatis & pudicitiæ apud autores reperiuntur exempla: ſiquidem apud Romanos & alias gentes non modo puellæ pro conſervando virginitatis theſauro, ſed aliæ quoque mulieres præ mœrore ob violatam caſtitatem ſe ipſas vita privarunt. Scribit enim Ludovicus Cælius Rhodig. *l. a. Lib.* 14. *cap.* 1. *fol.* 515. *ſeq.* Mileſias virgines ſeptem, Gallico furore cuncta vaſtante, ne quid indecens ab hoſte paterentur, turpitudinem morte declinaſſe. Legitur etiam Britora, nympha Cretenſis, cum eſſet formoſa, perpetuoque virginitatis voto venationi vacaret, ad vim & ſtuprum Minois regis declinandum, ſe in aquas dediſſe præcipitem, vid. Bartholom. Caſſanæi *Catal. Glor. Mund. Part. II. fol.* 55. *b.* Ibidem etiam mentio fit Thexonæ mulieris, quæ a Philippi Macedonum regis militibus in mari ſepta, cum nullum ſalutis effugium videret, in mare ſe dejecit, idque ne in regis poteſtatem veniret. Nicanor, victis Thebis atque ſubverſis, unius virginis captivæ ſuperatus amore eſt, cujus expetens conjugium & voluntarios amplexus, quod utique in illa fortuna debuerat captiva habere inter optatiſſima, ſenſit pudicis mentibus pluris virginitatem eſſe, quam regnum, & propria interfectam manu flens & lugens amator tenuit. Item auctores habemus, aliam etiam Thebanam virginem, quam hoſtis Macedo violarat, diſſimulaſſe paulisper dolorem, & violatorem virginitatis ſuæ mox jugulaſſe dormientem, prætereaque cum gaudio ſe quoque interemiſſe. Hæc Cælius *l. a. fol.* 516. Meminit etiam Simon Majolus *Dier. canicular. Colloqu.* 3. *fol. m.* 43. adoleſcentulæ ingenuæ, quam

Caſtitas mulierum.

cum is, qui a parentibus in ſponſum fuerat delectus, ipſa inſcia, furtiva quadam familiaritate, deoſculatus fuiſſet, intra unius horæ intervallum tametſi ſumma optimaque valetudine periit. Tanta ſeſe affecerat vi imaginationis, velut turpitudinis. Quamobrem, ne cognatio, quam jam ſtatuerant parentes cum adoleſcente, morte ejus eluderetur, alteram ſororem paulo juniorem eidem adoleſcenti deſponderunt. Valerius Maximus *Lib.* 6. *cap.* 1. *p. m.* 510. Lucretiam Romanæ pudicitiæ ducem nominat, cujus virilis animus maligno errore fortunæ muliebre corpus ſortitus ſit. Hæc a Sexto Tarquinio, regis ſuperbi filio, per vim ſtuprum pati coacta, cum gravisſimis verbis injuriam ſuam in conſilio neceſſariorum deploraſſet, ferro ſe, quod veſte tectum attulerat, interemit. Et *pag.* 519. mentionem facit Græcæ feminæ, quæ, nomine Hippo, cum hoſtium claſſe eſſet excepta, in mare ſe, ut morte pudicitiam tueretur, abjecit, quo loco plura. Sic Aquileja mulier ab hoſte capta barbaro, dum ad ſtupram cogitur, precibus & lacrymis nihil proficiens, obtinuit ſaltem, ut in ſuperiorem domus partem liber aditus fieret; quo facto occupata feneſtra, quæ flumini imminebat ad Hunnum converſa dixit: vis me potiri? me ſequere! uti ex Sabellio refert Johannes Benedictus Sinibaldus *Geneanthrop. Lib.* 2. *Tr.* 2. *cap.* 22. *p.* 209.

§. 3.

Exempla. Varia quoque caſtarum mulierum exempla recenſet Philippus Camerarius *Horar. ſubciſiv. Cent. I. cap.* 5. *pag.* 223. *ſeq.* ſcilicet Mallonia illuſtris femina Romana æternam memoriam ſuæ conſtantiæ & pudicitiæ poſteritati reliquit. Ea enim, ut Suetonius *Cæſar.* 3. §. 45. refert, quum ad Tiberium libidinoſisſimum ſenem eſſet perducta, neque adduci potuiſſet, ut cupiditatibus ipſius obſcœnis obſequeretur, indiſtincte ejus delatoribus fuit objecta, quam cum ne ream interpellare deſineret, ecquid pœniteret, ipſa pro tuenda pudicitia ſua derelicto judicio domum ſe arripuit ferroque transegit, obſcœnitatem oris hirſuto atque olido ſeni clare exprobrans. Ibidem etiam Camerarius nobi-

liſſimæ

liſſimæ & caſtiſſimæ feminæ meminit, cujus amore cum Maxentius tyrannus captus eſſet, ad eamque magiſtros libidinis, ut ad ſe ducerent, miſiſſet; maritus autem ipſius metu mortis eam abduci vetare non poſſet, illa petit ſe ornandi tempus & impetravit. Ingreſſa vero cubiculum ſibi manus intulit. Illi vero quum torquerentur mora, ad eam irrumpunt, compertoque quid accidiſſet, rem uti evenerat ad principem referunt. Rariſſimum etiam exemplum de Blanca Rubæa *ibid. p.* 124. annectit dictus autor. Ex Dione refert etiam idem Camerarius *l. a. Cent. II. cap.* 41. *p.* 174. legem Romuli primi, regis Romanorum, *qui ſe nudum a femina videri paſſus fuerit, criminis capitalis reus habeatur*, tempore Auguſti Cæſaris adhuc duraſſe. Quum enim Liviæ conjugi Auguſti obviam facti quidam viri nudi, eaque de cauſa necandi eſſent, eos ita eripuit morti, quod diceret, pudicis mulieribus hos nihil a ſtatuis differre. Huc pertinent etiam illæ puellæ atque uxores, quæ virginitatem atque pudicitiam ſuam conjugalem variis probationibus, v. g. per aquam, & ignem &c. demonſtrarunt, de quibus vid. Parthenolog. noſtr. *Sect. III. Cap.* 2. §. 5.

§. 4.

de Paulina.

Lectu jucundam atque ob ſacrificulorum fraudem & avaritiam notatu dignam hiſtoriam refert Henricus Salmuth *Comment. in Guidon. Pancirol. Rer. memorab. Part. I. Tit.* 46. *p.* 216. Romæ ſcilicet Paulina quædam, & generis ſplendore & morum integritate præſtans, & opibus abundans, vultu adhuc venuſto & ætate integra ac modeſtia ornata, nupta erat Saturnino, viro nullo bonorum genere ipſa inferiori. Hujus amore captus Decius Mundus, inter equites dignitate præſtans, mulieris pudicitiam muneribus ſolicitabat, ducenta millia drachmarum Atticarum pro uno concubitu pollicens; eaque recuſante magis inflammabatur, adeo ut abſtinentia ciborum necem ſibi conſciſcere inſtitueret. Habebat autem paternam libertam, nomine Iden, omnis generis malorum peritam. Ea adoleſcentem ſic affe-

affectum verbis confirmat & pollicitationibus refocillat, ac ſibi duntaxat quinquagies mille drachmas opus eſſe dicit ad rem conficiendam: quibus acceptis, cum illa pecunia non expugnari poſſe cerneret, ſed cultui Iſidis (ea tum a Romanis pro dea colebatur) eſſe deditiſſimam, quosdam falſæ illius deæ ſacerdotes convenit, pecuniam offert, ut Paulinam, quibus poſſint dolis circumventam, Mundo ſui copiam facere cogant. Illi pecunia deliniti facinus aggrediuntur. Eorum natu maximus Paulinam ſeorſim convenit, ſe ab Anubide, ipſius amore capto, miſſum eſſe profitetur, ut eam accerſeret. Mulieri ea verba optatiſſima acciderunt, ſi a deo amaretur, & nuncium illud cum marito communicat, qui gnarus modeſtiæ conjugis eam ambire ſinit. Cum in lucum veniſſet ſub ſomni tempus, mulieri in ipſa æde lectus paratur, lucernæ extinguuntur. Mundus jam antea ibi abditus per totam noctem ſub Anubidis nomine libidine ſui expleta diſcedit. Illa reverſa Anubidis apparitionem marito narrat, apud familiares de congreſſu dei gloriatur. Sed tertio poſt id facinus die Mundus ei obviam factus, Paulina, inquit, & ducenta millia habeo, & tu mihi gratis geſſiſti morem: Tua vero erga Mundum injuria me non attigit, qui Anubidis nomen ipſe mihi fecerim. E quibus verbis mulier intellecto facinore, veſtibus laceratis marito inſidias indicat. Is apud Tiberium conqueritur: Imperator facinore comperto ſacerdotes & Iden in cruces tollit, ædem diruit, Iſidis ſimulachrum in Tiberim demergit, Mundum in exilium egit, pœnam graviorem ob amoris vim clementia moderatus. vid. etiam Joh. Ludov. Gottfridi *Hiſtoriſche Chron. Part. IV. fol. m.* 308. Factum hoc eſſe anno Chriſti 36. refert Flavius Joſephus *de Antiquitat. Judæor. Libr.* 18. *cap.* 4. *pag. m.* 483.

§. 5.

Conjugium ſine coitu

Quandoque etiam in legitime conjugatis obſervatur pudicitia; de conjugiis enim ſine commixtione ſeu coitu matrimoniali exempla refert Simon Majolus *Dier. Canicular. Colloqu.*

loqu. 3. *fol. m.* 44. ubi viri meminit, qui e carcere miraculo eductus eſt, cum in eum fuiſſet injectus, quod mulieri cohabitaret, quum tamen uterque virginitatem ſervaret. Item recenſet, undecim annos olitorem quendam uxori cohabitaſſe & virginitatem perpetuo ſervaſſe, dæmoniumque ſtatim illo conſpectu fugiſſe ab obſeſſa, quod ſanctus Abbas Johannes non potuiſſet. Et Romæ jam biennio vir & uxor uno lecto decubuerant, maximo mutuo ſe proſequentes amore, nunquam tamen ad venerem ſe invitarunt, cum mulier ſextum decimum, vir vigeſimum quintum annum excederet; neque ei abſtinuerant ex voto aliquo, ſed ex optima mentis indole, qua ſe pollui uterque verecundabatur. Porro Simplicius perpetuam cum uxore caſtitatem ſervaverat: electus autem in epiſcopum domi virginem adhuc uxorem fovebat, uti ſororem. Die igitur natalis Domini, commotis civibus adverſus virginem, per inanem ſuſpicionem, ſic ad illam locuti ſunt: incredibile eſt, mulierem viro junctam pollui non poſſe, ſed nec vir poterit artibus mulieris junctus a coitu abſtinere. His commota virgo ſanctiſſima adit pontificem ſimili caſtitate pollentem, arculamque tunc, ut fieri ſolet pro rigore hyemis, carbonibus plenam penes ſe habens, accita famula, expanſoque pallio prunas ardentes ſuſcipit, & fere horæ unius ſpatio tenens ſacerdoti poſtea ſic ait: accipe & tu mitiorem ſolito ignem, nequaquam tuis velaminibus nociturum: ſuſcipiente vero pontifice nihil offenſum eſt velamen ejus ab igne. Credidit tunc incredula gens, atque ſupra mille ſacro baptismate ſunt initiati &c. Cæſaris Martiani uxor, nomine Pulcheria, hoc pacto eundem ad conjugium invitavit, ut juramento confirmaret, ſe virginitatem ipſius intactam eſſe conſervaturum. vid. Chriſtian. Matthiæ *Theatr. hiſtor. p. m.* 729. Maxime quoque laudanda eſt caſtitas Zenobiæ Palmerinorum reginæ, quippe quæ inter alias ſpectabilis ſui animi dotes ſummopere celebratur, quia Obedenatum, conjugem, gravida nullatenus admittere volebat; modeſtam namque mulierem non

propter voluptatem, ſed prolis cauſa, matrimonium celebrare dicebat. vid. Carol. Muſitan. *de Morb. Mulier. Quæſt.* 2. *Art.* 4. *pag. m.* 58. Notæ vel potius ſuſpectæ pudicitiæ exemplum ex Petronio refert Gerhardus Feltmanus *de Cadav. inſpiciend. cap.* 33. *p. m.* 138. de matrona quadam Epheſia tam notæ pudicitiæ, ut vicinarum quoque gentium feminas ad ſui ſpectaculum evocaret. Hæc, cum virum extuliſſet, eum in conditorium proſecuta, corpus cuſtodire ac flere totis noctibus diebusque cœpit adeo, ut affligantem ſe ac mortem inedia proſequentem non parentes potuerint abducere, non propinqui: & magiſtratus ultimo repulſi abierunt. Cum autem quinta nocte miles, qui cruces aſſervabat, ne quis ad ſepulturam corpora detraheret, ad eam deſcendiſſet, expugnare dominæ pertinaciam cœpit, quam iſta frangi non tantum paſſa, ſed & apud cadaver novas nuptias fecit.

§. 6.

Germanorum pudicitia.

De veterum Germanorum caſtitate & pudicitia ita loquitur Thomas Lanſius *Conſultat. Orat. pro German. pag. m.* 84. *ſeq.* Caſtitas & pudicitia, quæ ſententia Ægidii ſodalis Franciſcani eſt velut illuſtre ſpeculum, ſed quod ſolo anhelitu infici ac maculari poteſt, ubi terrarum eſt integrior, quam in Germania? ubi gentium incontaminatior? Intra annum vigeſimum feminæ notitiam habuiſſe, in turpiſſimis habent rebus, de Germanis ſcripſit Julius Cæſar: Sera juvenum venus, eoque inexhauſta pubertas; nec virgines feſtinantur: viri ſingulis uxoribus contenti ſunt; pauciſſima in tam numeroſa gente adulteria, quorum pœna præſens; uti & publicatæ pudicitiæ nulla venia, de iisdem ſcribit Tacitus. Nec alii mores ſunt hodierni, quibus noſtra maxime omnium nationum honeſtatem conjugiorum juxta Dei præceptum colit, ſcribit Thuanus. Venus illicita tam eſt exoſa, ut nothis non tantum viam literarios ad honores alicubi, ſed & in opificiis exercendis libertatem, qua legitime nati fruuntur, pleriſque in locis intercludat. Proinde optimus quisque impudi-

citiæ

citiæ vindex eſt acerrimus. A quo crimine Maria Hungariæ, imperatoris Caroli V. ſoror, antiqui moris & gravitatis femina, ſupraque ſexum fortiſſima, tantopere abhorrebat, ut nunquam a Cæſare exorari potuerit, ut cuidam ex primaria nobilitate juveni, fratri percharo, qui unam ex domeſticis ipſius virginibus corruperat, culpam condonaret; palam interminata, ſicubi illum nanciſceretur, vel in fratris comitatu, fore, ut extremo ſupplicio adficeretur. Neque deſcivit heroina a proavo Carolo pugnace, Belgii principe: qui ſine adſpectu & adfectu in quempiam Zeelandici oppidi præfectum memorabili exemplo animadverterat. Iſte præfectus feminam corpore & moribus ſcitam, ſed animo meliorem deperibat; tentabat omnia, quæ ſolent & poſſunt amantes, fruſtra tamen. Dein ex deſperatione ad ſcelus properans, maritum amatæ feminæ proditionis inſimulat, & vinctum in carcerem compingit: ac mulieri virum caſte amanti, & pro liberatione illius impigre omnia agenti, innuit: mariti vitam in amoris fructu verti; ſimulque ad talia trepidanti, rubenti & pallenti, vim adhibet, & potitur. Voti compos, nihilominus maritum in carcere damnari, damnatum capite plecti, atque cadaver in arcam ligneam includi curat, mox ſepeliendum. Imo conjugem, ex pacto maritum recipere ſperantem, & nihil ſuſpicantem, abire & tollere jubet. Quæ triſti ſpectaculo perculſa ſuper cadaver ſe abjicit, diuque lamentata, conſilium viamque ultioni exquirit. Venit in aulam querula, & rem ordine principi denarrat: qui præfecto vocato, interrogato, perplexe multa loquente, tandem confitente, & gratiam implorante, etiam mulieri, ut injuriam ſolatio aliquo corrigeret, ſe in matrimonium offerente; illi primum abnuenti, poſtea aliorum ſuggeſtionibus annuenti, novum maritum copulat; etiam perſuaſum, ut ſupremis tabulis, ſi prior ſine liberis moriatur, conjugem hæredem ex aſſe ſtatim inſtitueret. Quibus peractis, femina jam animo ſuo factum eſſe ſatis teſtante Carolus nondum ſibi ſatis factum eſſe declarat; &, illa ablegata,

præfectum in illum ipſum carcerem duci, in quo maritus cæſus, & pariter cæſum in arcam ligneam ſive capulum deponi imperat. Tunc mulierem ignaram eo mittit: quæ inopinato iterum caſu, conterrita, duobus maritis, eodem fere tempore, eodem certe ſupplicio amiſſis, mox in morbum incidit & fato obiit: hoc ſolum alteris nuptiis lucrata, ut liberos ex priore conjugio divites relinqueret nova hæreditate. Sic pudori & caſtitati conſulitur: ſic ſtimuli & pruritus vagæ libidinis in Germania retunduntur. Addi quoque meretur Mariæ avus, imperator Maximilianus I. qui inter alias dotes fuit corpore pulcherrimus; ſed ita verecundus, a conſpectu aut contactu, ut nemo vir aut femina nudum eum viderit aut retectum. Subducebat ſe furtim, aquam ſumpturus; ad lectum iturus nec cubicularium quidem ad exuendum, deponendum collocandumque ſe admittebat: adeo ut nulla virgo magis teneri pudoris fuiſſe videatur. Hactenus Lanſius.

§. 7.

Virginibus commendata.

Virginibus caſtitatem & pudicitiam ſequentibus verbis commendat Hadrianus Beverlandus *Admonition. de Fornicat. cavend. ſive Adhortat. ad Pudicit. & Caſtitatem p.* 34. *ſeqq.* Cum caſtitas præcipuum & unicum ſit puellarum peculium, ideo virgines ſemper ſint amictæ indumento caſtitatis. Sciant miſellæ, ſe fragile & ſua natura inerme & ad omnes tentationes expoſitum circumferre vaſculum. Dies itaque & noctes circa corporis ſui ſanctitatem excubent prudentiores. Maximum caſtitatis conſervandæ munimen aſpectus verecundia ſuffuſus. Pulchritudo oculis condecorata decoris non tantum amatores ex adverſo intuentes a propoſito laſcivo avertet; ſed ipſos raptores horrore ſimul & veneratione perfundet. Sicut Xenophontem, Xenocratem & Domitianum mire decuit verecundia, ita quam maxime puellam exornat. Quam ſcite mulieres deceat verecundia, exinde conjicite, quod ipſa proſtituti pudoris mancipia, publicis objecta ludibriis, ſemper fingant, quam non habent,

mode-

modeſtiam. Inter tot mala hoc unicum bonum poſſidet femina. Caveat itaque prudens, ne hoc ornamentum prodigat aut proſtituat. Ne pudica labiis hiantibus catillet in triviis. *Sirach. XXV*, 24: Impudentis eſt nimis liberali per plateas incedere vultu. Divortant mores virginis longe a lupæ. Impudicam oſtendit inceſſus rythmicus, vagus oculorum flexus arguunt impudicam, nutus atque renutus manusque rejecta cervice motæ ad pectus adulteram produnt mentem, procax cum protervo riſu verbum poſcit oppreſſiunculas. Quare, quæ cupit eſſe caſta & haberi honeſta, frontem non gerat extenſam aut porrectum os: ſed lumina habeat in ſinum dejecta. Cum ſequior ſexus parum per ſe tutus ſit, ideo vigilent parentes aut propinqui, ne filiæ vagentur incuſtoditæ. Degant minorennes ſub matris, patruæ aut tutricis conſpectu. Inter Gynæcei penetralia ſe contineat pudica. Priſcis illis temporibus, cum famoſa ſimillima meretrici eſſet, filiolæ educabantur in gremio matris. Apud Judæos matronæ aulam: virgines atrium non egrediebantur. In Italia matres familiæ cum filiabus non tantum intra ſecreta domeſtici laris manent, ſed certis locis, in quæ raro veniunt viri, occluſæ ita ſunt arcte, ut filius familias ſuam vix videat matrem. Quæ autem ob officia domeſtica coguntur egredi, illæ non niſi velato ore prodeunt. In Germania & domeſticis finibus ſe continent integellæ, & ſi foras exeant, prætereuntium juvenum alloquia taciturnitate aſpernantur. Si aliquis te ludibunde attrectet, noli increpare petulantem, ſed abito læta. Nam ſi dignata fueris loqui & aperire labella, his hamis cedes in prædam: Prima nocte domum claude, neque in vias ſub cantu querulæ deſpice tibiæ. Cum illæ virgines, quæ cum pueris conſueſcunt a teneris, nuptæ imperitent maritis, ideo ludant virgunculæ cum puſiolis, nec ulli ſint effabiles, quam matronæ. Segreget ſe pudibunda a cœtu puellarum, quæ fama laborant. Integra fama ſine fabula. Si tamen ob juſtas nuptias ambiatur matura, circumſpiciat, ne irritet proca-

 cem.

cem. Sicut roſæ ſpinis & mella muniuntur apibus; ita virginitas torva verecundia ſit ſacra & ſancta. Plurimum in ſui munimen valebit nupturiens, ſi templo ſuo præficiat æditiuam moroſam, pudicitiam. Cum infirmus animus facile adulationibus, blanditiis donisque capi poſſit, ideo quævis blande oblata ut inſidias & corruptelæ illecebras perſeveranter reſpuat virgo. Cum oſculum ſit ſpuma ſubantis & jaculatum quinta ſui veneni parte inficiat amatam, ideo prudens ne prioribus labris ſe ſinat ſalutari. Omni niſu avertendus eſt tactus. Ne digitis extremis ſe tangi patiatur virgo. Eſt enim hæc indulgentia anticænium caducæ virginitatis. Non caſtæ, ſed impudicæ eſt ſinere horridulas papillas contrectari. Nam ſimulac procus hunc nactus fuerit favorem, illico ſalaci manu perget revincire zonam teque ludificari. Nec patiatur ſe ad ſpectacula perduci. Illa enim ſtuprandis moribus inventa ſunt. Cum hiſtriones & mimi laſcivis geſticulationibus atque fabellis inflammare ſoleant ſpectatores & ſpectatrices, illi, fabulis peractis, quæ viderunt, repetere incipiunt, & inter blandimenta luxus exuunt animi conſtantiam. Penelope ſimilibus præſtigiis excantata cogebatur nubere proco. Adeo ut complures, quæ pudicæ exiverant, domum reverſæ fuerint veneno tinctæ ſæpeque vitiatæ. Quare ſi velitis permanere illæſæ, longe a trivialibus ludis, a vitiorum exemplis recedite.

§. 8.

Brutorum caſtitas. Quandoque etiam animalia ſatis caſta apud autores allegantur; Cerva enim juxta Guil Harvæum *de Generat. Animal. Exercitat. 66. p.* 431. inter caſtiora animalia cenſetur: ægre enim maris initum patitur (quippe, tauri inſtar, cum impetu coitum peragit) & niſi vi compulſa aut fatigata congreſſum repudiat. Quæ etiam cauſa videtur aggregationis femellarum ad proprios mares, eosque ſeniores & potentes armis. Adventante enim mare alieno coitumque appetente, ad proprium illico maritum gregemque confugiunt, tanquam ad aſylum, ut caſtitatatem

tatem ſuam & pudicitiam tueantur. Simulac cerva prægnans evaſerit, marem denuo non admittit. De caſtitate piſcis cujusdam, canthari marini, ſequentia refert Franciſcus Calceolarius *in Muſeo*, *Sect. I. fol. m.* 64. *ſeq.* tametſi dictus cantharus in luto & ſordibus libenter verſetur, nihilominus, referente Claudio Æliano, ſalaciſſimus eſt, ac pugnam inſtituit de feminis, non ſecus ac viri de pulchris mulieribus, hirci contra hircos, & tauri contra tauros: turget amore adeo flagrantiſſimo in ſuæ ſpeciei feminas, ut cum procis zelotypia ductus acerrimas pugnas edat; certamen non inſtituens de multis, ſargorum piſcium more, (qui non modo in ſuam ſpeciem libidinoſo corripiuntur amore, ſed & capras ipſas, animalia terreſtria vehementiſſime amant, & tanta amoris inſania in eas exiſtunt, ut a piſcatore caprina pelle obtecto, & ab illis ſenſu caprini odoris percepto, dolo capiantur) ſed pro una tantum, non ſecus ac Menelaus cum Paride pugnet ac decertet: qua ſi ſemel fuerit potitus, nullam aliam (promiſcuæ veneris odium abhorrens) concupiſcat ac attingat, unica caſtitate contentus; quod a poeta Oppiano hiſce verſibus eſt deſcriptum:

Uxores ſargi multas, & merulus ardens
Ducunt; aſt alii contenti conjuge ſola,
Cantharus Æthnæus contemnens agmina lecti.

Res ſane notatu digna velint ac nolint homines illi non ſine maximo cum dedecore, ut fateantur eſt neceſſe, ſe a brutis caſtitate ſuperari, qui legem a Deo optimo maximo pro mutua & reciproca, in matrimonii vinculo ſervanda fide neutiquam ſervantes, nec malæ tractationis pœnam verentes non turpibus Hymæneis deteſtatis, nec unicæ uxoris conſortio contenti, lenonum & ſtrygarum medio alienas ſedes propagationi deſtinatas, violare & ingredi tentant, ac ut novi cuculi in corrucæ nido fœtificare die noctuque ſtudent. Quo ergo in fide matrimoniali non hæſites, nec hinc inde a fluctibus tentationum qui a a ventis concupiſcentiæ & luxuriæ agitantur, rapiaris, canthari piſcis

piſcis exemplo, quam Deus tibi præſcripſit uxorem, illa unica ſis contentus, alienam ne concupiſcas; eam diligito, ſicut Chriſtus dilexit eccleſiam & ſemetipſum tradidit pro ea; illam vitæ & negotiationis hujus mundanæ ſociam ſumma cum tranquillitate domi contineas: ſic enim ſervato hoc naturæ vinculo, legibus ac benedictione obſtricto, gratus Deo & hominibus evades.

SECTIO II.
DE MULIERUM CONGRESSU.
CAPUT I.
De coitus voluptate & tempore.

§. 1.

Coitus feminarum. PEr hactenus recenſitam ſalacitatem pleræque feminæ tam virgines illibatæ, quam defloratæ, & ipſæ etiam maritatæ ſeu uxores & viduæ, ad congreſſum cum maribus maxime, & quidem duplice fine, ſtimulantur; aliæ ſcilicet ut ſalacitatis fructus & matrimonii delicias, cohabitatione carnali, ſive licita, ſive illicita guſtent; aliæ vero, ut ſimul per coitum (qui juxta Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib.* 1. *Tr.* 2. *Cap.* 3. *p.* 9. eſt maris ac feminæ per apta utriusque inſtrumenta cum ſeminis ejectione ad ſimile generandum conjunctio, honeſto atque legitimo modo concipiant ſeu ingravidentur, ſicque familiam ſuam humanumque genus propagent.

§. 2.

an ſine coitu fiat conceptio? Somniarunt equidem nonnulli, tam inter animalia, quam homines dari feminas absque marium concurſu concipientes, uti de vulturibus ſcribit Claudius Ælianus *de Animal. Lib.* 2. *Cap.* 46. *fol. m.* 45. omnes ſcilicet eſſe feminas, ex vento concipere, non ova, ſed pullos ſtatim parere. Vulturem non naſci

marem

marem ajunt, ſed feminas omnes generari: quam rem non ignorantes hæ beſtiæ, pullorumque ſolitudinem ac inopiam timentes, ad gignendos pullos talia machinantur. Adverſæ auſtro volant: vel ſi auſter non ſpirat, ad eurum ventum oris hiatu ſe pandunt: ſpiritus venti influens ipſas implet. Ita etiam ſentit Græcus poeta Philes *Animal. Hiſtor. de vulturib.* juxta Gregor. Bersmanni verſionem *p. m.* 8. *ſeq.*

Non maſculos hoc fert genus, ſed feminas,
Quas auſter implet, influens hiantibus:
Cujus recepto ſpiritu, poſt tertio
Dant vere partus, ſemine abſque comparis.

Idem etiam de equabus narrat *C. Plinius ſecundus hiſtor. natur. Lib.* 8. *Cap.* 42. *fol. m.* 142. conſtat, inquiens, in Luſitania, circa Olyſſipponem oppidum & Tagum amnem, equas favonio flante obverſas animalem concipere ſpiritum, idque partum fieri & gigni perniciſſimum ita, ſed triennium vitæ non excedere. Et Virgilius *Georgic. Lib.* 3. ita ſcribit:

Illas ducit amor trans Gargara, transque ſonantem
Aſcanium: ſuperant montes & flumina tranant,
Continuoque avidis ubi ſubdita flamma medullis
Vere magis (quia vere redit calor oſſibus) illæ
Ore omnes verſæ in zephyrum ſtant rupibus altis,
Exceptantque leveis auras & ſæpe ſine ullis
Conjugiis vento gravidæ (mirabile dictu)
Saxa per & ſcopulos & depreſſas convalles
Diffugiunt.

vid. etiam Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib.* 1. *Tract.* 3. *Cap.* 7. *p.* 58.

§. 3.

an dentur conceptiones hermaphroditicæ?

Dari etiam inter homines ejusmodi conceptiones hermaphroditicas & illæſarum virginum partus, quæ ſine virili concubitu conceperint atque pepererint, de Merlini Britanni vatis matre ex Affaytato in Spermatolog. noſtr. *Cap.* 13. §. 37.

pag. 683. adduximus, eandem ſcilicet, cum forte ſe cum viro jacere ſomniaſſet, hunc filium ſine viro concepiſſe. Hunc tamen Merlinum ex incubi & nobilis Britannici ſanguinis feminæ concubitu genitum eſſe, ex Boethio refert Joannes Wierus *de Lamiis Oper. Lib.* 3. *cap.* 30. *p. m.* 253. Platonem etiam, ſapientiæ principem, non aliter, quam virginis partu natum, Perictione matre Apollinis phantaſmate oppreſſa, antiquorum ſcripta fabulata ſunt. vid. Ludov. Cœlii Rhodigin. *Lection. antiqu. Lib.* 14. *cap.* 1. *fol.* 516. unde etiam Platonis ſapientia veteres omnes in admirationem traxit, ut ſemideum potius, quam hominem fuiſſe crediderint, juxta Caſp. a Reies *Camp. Elyſ. jucund. Quæſt.* 41. *p.* 498. Ex Rachele, matre adhuc virgine, ſe natum eſſe jactabat mendaciter Simon magus, ut deum ſe mentiretur, vid. Thom. Bartholin. *Anatom. renovat. Lib.* 1. *cap.* 31. *p.* 286. Quid de Pomponii Melæ relatione, ſcilicet in Africanis littoribus longe ultra Macrobios inſulam compertam, in qua ſolæ degant feminæ, toto corpore hirſutæ, quæ etiam ſponte absque maribus fiant fœcundæ, cenſendum ſit, vid. Sim. Majol. *Dier. Canicular. Colloqu.* 14. *fol. m.* 200. nullam ſcilicet adhibendam eſſe fidem, quia juxta Plin. *Lib.* 6. *cap.* 31. non ſolum feminæ, ſed etiam mares ibi degant. Imo omnes ibi androgynos eſſe, concipereque ac gignere, conjicit dictus Majolus. De his autem & aliis absque coitu per ſolam imaginationem, vel per ſemen in balneo a mare profuſum annotatis conceptionibus, jamdudum ſuſpectis vid. Spermatolog. noſtr. *Cap.* 4. §. 2. *p.* 156. *ſeq.* & *Cap.* 5. §. 3. *pag.* 223. item Hieron. Mercurial. *de Morb. Mulier. Lib.* 1. *cap.* 2. in Iſraël. Spacch. *Gynæc. fol.* 211. Caſp. Poſner. *Geneanthropolog. tab.* 2. qui autor etiam *in Phyſiolog. Conception. atque Nativitat. Chriſt.* §. 20. *ſeqq.* plura de feminarum ſine maris concurſu conceptione adducit, ubi etiam Transſylvani cujusdam anonymi meminit, qui ſeculo ſuperiore comperta ſibi diuturno exilio apud Turcas recenſuit, inter alia referens, conſtantiſſima inter eos fama adſeri, quod plures concepti ac nati ſint ſine virili ſemine, quos

ideo

ideo NEFES OCLI appellant, indeque nec videri ipſis inſolitum, quando Chriſtiani confitentur, eſſe Chriſtum ex virgine Maria conceptum ſine ſemine virili. Carolus Drelincurtius de *conceptu conceptus præfat.* capitali flagrat odio in tartareas de Platone ſabellas, deque Budda e virgine natis, tantamque fidem diabolicis technis iſtis adhibet, quantam vel Minervæ vel Baccho de Jovis cerebro crureve deductis; vel Typhaoni e Junone ſola genito vel Tullio Servio de Priapi cinere ſurgenti; vel Apidi demum e lunæ radiis ſuſcitato. Et *Perioche* 23. *p.* 24. idem Drelincurtius de conceptione totius generis humani & θεανθρώπȣ ita ſcribit: Ovum in matricem compulſum maſculi duntaxat ſeminis ingreſſu fit prolificum; idque ab Adamo creato ad noviſſimam usque diem tam irrevocabili lege, ut mortalium nemo ſit aliter conceptus vel concipiendus unquam; nam in animali mortali iſtud eſt immortale. Idcirco igitur eo mirabilius mirabilia Dei, ſuper ſacro-ſancto virgineo partu ſeſe manifeſtant: Is quippe immortalis θεάνθρωπος, ne ex carne peccatrice nobiscum in peccato conciperetur, ſacro-ſancti Spiritus efficacia in virgineis ilibus conceptus eſt. Quum enim Deo non ſit difficile quicquam, quid ipſi facilius fuit, quam electæ & illibatæ virginis uterum electiſſimam & intaminatam duxiſſe veſiculam, cui deinceps is idem, qui primitus incubuit, incubaret & incubitu ſuo divino germen illud immortalitatis ἄκακον τε καὶ ἀμίαντον ex illius ſelectæ veſiculæ ſinceriſſima cryſtallo intra beatæ virginis ilia ſuſcitaret?

§. 4.

An apes coitum exerceant? ſubtilis atque dubia quæſtio autoribus eſt, ſiquidem juxta Joh. Petr. Fabri *Panchymic. Lib.* 3. *Sect.* 5. *cap.* 2. *pag.* 358. apes enaſcuntur ex ſeipſis, ut ipſe phœnix & formicæ ſibi tumulum & ſepulturam ipſæmet conficiunt, dum ad ſenectutem vergunt, ex humiditate viſcoſa aeris ſibi glomerant neſcio quid ovi ſimile, in quo includuntur & quaſi ſepeliuntur, juvenes vero illud ovum in cellulas & tuguriola *an apes coeant?*

deponunt, ibique calore & fotu ſolis exſurgunt novæ apes & recentes. Cum vero dictus autor apum ortum eundem cum formicarum ortu deſcribat, ex eodem, *l. a. cap. 2. p.* 255. ſequentia adducere libet: Enaſcuntur formicæ non ex ovis, non ex coitu, ut quidam exiſtimant, ſed ipſæmet tumulum, tanquam ovulum ſibi glomerant, & in illo clauduntur, ubi putreſcunt, & ex illa putredine calore ſolis in ſuperficie terræ enaſcuntur aliæ formicæ, prioribus ſimiles: ſic genus ſuum propagant & velut phœnix ex morte reſurgunt. Apum per coitum propagationem negat etiam Virgilius *Georgic. Lib.* 4. inquiens:

Illum adeo placuiſſe apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes
In venerem ſolvunt, aut fœtus nixibus edunt,
Verum ipſæ natos foliis & ſuavibus herbis
Ore legunt &c.

Et ex ceris, ſine coitu, veluti apes emergere Petronius aſſerit, ita canens:

Sic ſine concubitu textis apis excita ceris
Fervet & audaci milite caſtra replet.

vid. Petr. Lotich. *Comment. in Petron. Arbitr. Satyr. Lib.* 3. *p. m.* 417. quo loco varia pro & contra hanc ſententiam, item de inſectorum generatione reperies. vid. etiam Chriſt. Frid. Garmann *Oolog. Diſſ. II.* §. 9. *pag.* 61. *ſeq.* Paul. Zacch. *Quæſt. med. legal. Lib.* 4. *Tit.* 2. *Qu.* 3. *fol.* 381. Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib.* 1. *Tr.* 3. *cap.* 8. *p.* 73. *ſeqq.* Apes coire & ex coitu generari, eo quod etiam ſexu ſint diſtinctæ, contendit Fortunius Licetus *de ſpontan. vivent. ort. Lib.* 4. *cap.* 57. *fol. m.* 303. *ſeq.* Sicuti autem Ariſtoteles & alii, apum reges ex ſeſe per coitum alios reges generare, ſtatuunt, ita quam vulgo apum regem vocant, eam eſſe femellam, cæteras omnes mares, qui cum ipſa coeant, ſtatuit Antonius a Leeuwenhœck. vid. Act. Erudit. Lipſ. *An.* 1719. *Menſ. Jan. p.* 14. An verum ſit, perdices feminas absque coitu maris concipere, vid. Joh. Bened. Sinibald. *l. a. Cap.* 6. *p.* 54. *ſeq.*

§. 5. Cum

§. 5.

Cum proinde ad generis humani propagationem & conſervationem congreſſus maxime & abſolute ſit neceſſarius, ad eundem autem utriusque ſexus organa, generationi dicata, ita concurrant, ut mas ex ſua parte membrum debite applicare, femina vero convenienter illud in ſinum ſuum muliebre admittere, non ſine voluptate poſſit, hoc loco primario de voluptate in coitu agemus. Maximum enim ſalacitatis atque venereæ voluptatis gradum tam mares, quam feminæ in ipſo actu venereo ſentiunt, & absque tali voluptuoſa ſenſatione fortaſſe utriusque ſexus homines atque bruta a dicto coitu, tanquam actione ſordida, & a propagatione, ob ſubſequentia incommoda maxime moleſta deterrerentur. Ne itaque genus humanum atque brutorum ſpecies intereant, dulcem ejusmodi ſtimulum gratasque illecebras cohabitationi naturæ creator atque conſervator conceſſit, vel juxta Andr. Laurent. *hiſtor. anatom. Lib.* 8. *Qu.* 7. *f.* 292. admirabilis naturæ providentia, ne mortale ac diſſolubile individuum extingueretur, ad ſpecierum conſervationem ſingulis animalibus libidinis ſtimulos & incredibile coeundi deſiderium injecit inſevitque. Quis enim, per Deum immortalem, concubitum rem adeo fœdam ſolicitaret atque amplexaretur? quo vultu divinum illud animal, plenum rationis & conſilii, quem vocamus hominem, obſcœnas mulierum partes tot ſordibus inquinatas, & ea ratione in locum imum, velut ſentinam corporis relegatas attrectaret? Quæ femina maris in amplexum rueret, cum & nonimeſtris geſtatio laborioſa ſit, & fœtus excluſio diris cruciatibus moleſta ſæpeque exitioſa; & editi fœtus educatio plena ſolicitudinis, niſi incredibili voluptatis œſtro percita eſſent genitalia? Sola igitur ſpeciei conſervatio tantæ voluptatis, quæ toto conceptus tempore, ſed præſertim in ſeminis emiſſione percipitur, cauſa eſt finalis. Inquit etiam L. Cœlius Lactantius *divin. inſtitut. Lib.* 6. *cap.* 23. *p. m.* 431. *ſeq.* cum excogitaſſet Deus duorum ſexuum rationem, attribuit iis, ut ſe in-

Voluptas in coitu.

vicem appeterent & conjunctione gauderent. Itaque ardentiſſimam cupiditatem cunctorum animantium corporibus admiſcuit, ut in hos affectus avidiſſime ruerent, eaque ratione propagari & multiplicari genera poſſent; quæ cupiditas & appetentia in homine vehementior & acrior invenitur &c. Et ſecundum verba Caſp. a Reies *Elyſ. jucund. Quæſt. Camp. Qu.* 42. *n.* 3. *pag. m.* 504. magna ſolertia natura animalibus omnibus & homini potiſſimum ingentem illum voluptatis ſenſum in venereis affixit, propagationis ſolicita, indiditque genitalibus tantum oblectamentum, ut vel invite in generationis actum ruerent, turgentiaque animantia & in coitum prona ad illum facile ducerentur, ne alioquin individuorum interitu ſpecies omnino deficerent. Et juxta verba Ludovici Bonacioli *de fœt. format. cap.* 2. *p. m.* 170. ſeminum ſecretio utrorumque coitu, in quo ſexuum permiſcentur confunduntur que virtutes, plane abſolvitur tanta tamque admirabili utriusque plerumque voluptate, ut etiam ſolo rei concupitæ conſpectu vir mulierque (voluptatis, qua olim geſtirent, memores) mirum in modum in venerem agantur. Hæc autem a natura ita inſtituta ſunt, ne humanum genus periret. Namque ſi propter id, quod mulieres uterum gerentes gravantur, parturientes perdolent, puerperii ſolicitudine enutrientes occupantur, initum abhorrerent, genus profecto hoc terris ocyſſime adimeretur.

§. 6.

an protoplaſti delectationem in coitu ſenſerint?

Circa hanc coitus voluptatem atque delectationem etiam inter autores, inprimis theologos, oritur diſſenſus, & quidem ratione primorum parentum & ſtatus innocentiæ, dum nonnulli protoplaſtis, ſi absque transgreſſione legis divinæ in paradiſo liberos generaſſent, eandem cum toto genere humano & animalibus noſtro adhuc tempore communem dulcedinem adſcribunt; alii vero hanc concupiſcentiam atque voluptatem a peccato tantum originali derivant, ita ut primi parentes cum poſteris, ſi in ſtatu innocentiæ permanſiſſent, absque tali concupiſcen-

piſcentia voluptuoſa liberos procreare potuerint. Inquit enim Magiſter ſententiarum: Si primi parentes non peccaſſent, absque omni peccato & macula in paradiſo carnali copula conveniſſent, eſſetque ibi coitus immaculatus ac mixtio ſine concupiſcentia, atque genitalibus membris ſicut & cæteris ita imperarent, ut ibi nullum motum illicitum ſentirent; & ſicut alia corporis membra aliis admovemus ſine libidinis ardore, ut manum capiti, ita absque carnis pruritu genitalibus uterentur; hæc enim lethalis ex peccato membris humanis adhæſit: Genuiſſent itaque in paradiſo filios per coitum immaculatum. Et Auguſtinus ſuper Geneſin inquit: Cur non credamus, primos homines ante peccatum genitalibus membris ad creationem imperare potuiſſe, ſicuti cæteris in quolibet opere ſuo ſine voluptatis pruritu utuntur? Incredibile enim non eſt, Deum talia feciſſe corpora illa, ut, ſi non peccarent, membris illis ſicuti pedibus imperarent, nec cum ardore ſeminarent, nec cum dolore parerent; ſed poſt peccatum motum illum meruerunt, quem nuptiæ ordinant, continentia cohibet, infirmitasque prona in turpitudinis ruinam honeſtate excipitur nuptiali, ut, quod ſanis officium eſſet, ægrotis ſit remedium. Idem pater etiam inquit: Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali naſci, impietati ſubditum mortique ſubjectum; quare omnes ex libidine & voluptate coitus geniti cum peccato originali concipiuntur. vid. Caſp. a Reies *l. a. p.* 504. vid. etiam Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib.* 4. *Tr.* 2. *cap.* 7. *pag.* 470. *ſeq.* Aliter adhuc alii de Adami, tanquam primi parentis, ſtatu innocentiæ ejusque propagatione hermaphroditica ſine externis partibus genitalibus ſentiunt, de quibus vid. Spermatolog. noſtr. *Cap.* 13. §. 38. *p.* 684. *ſeq.* 687. *ſq. &c.* Quam tamen materiam dominis theologis decidendam relinquo.

§. 7.

De quæſtione autem, utrum mas, an femina majorem in

coitu

Utrum mas an femina majorem voluptatem ſentiat?

coitu voluptatem ſentiat, aliquot equidem autores in Spermatolog. noſtr. *Cap.* 5. §. 15. *pag.* 242. allegavimus, quorum verba ſupra *de ſalacit.* adduximus; cum vero hanc voluptatem veneream alii medici viris, alii vero mulieribus non ſine additis rationibus adſcribant, nobis hoc loco nonnullorum argumenta & verba promiſcue hic inſerere animus eſt. Solent autem nonnulli inter voluptatis ſive delectationis, in coitu perceptibilis, durationem & gradum diſtinguere, vel aliis uti differentiis. Ita ſcilicet ſcribit Hippocrates *de Genitur. Oper. Sect.* 3. *fol. m.* 12. Mulieribus in coitu attrito pudendo & commotis uteris pruritus quidam in ſeipſis ſentitur & reliquo corpore voluptas calorque exoritur. Semen vero e corpore etiam emittit mulier, interdum quidem in uterum, ex quo humidus redditur: nonnunquam vero foras, ſi plus æquo uterus dehiſcat. Illa etiam, ubi coire cœperit, toto tempore voluptatem percipit, dum vir ſemen emiſerit. Quodſi coitum ardenter quidem mulier appetat, antequam vir ſemen emittit; neque deinceps eadem voluptate perfunditur: ſin vero venerem non vehementer appetat, una cum viro voluptate affici deſinit. Ac habet ſe res ad hunc modum, ut, ſi quis ad aquam ferventem frigidam affundat, fervere deſinit, ita etiam virile ſemen in uterum illapſum mulieris calorem & voluptatem extinguit. Effertur autem voluptas & calor, ſimulac ſemen in uterum decidit, deinde deſinit, non ſecus ac ſi quis ad flammam vinum affundat, ea primum ad vini affuſionem attollitur, & paulatim increſcit, deinde deſinit; eodem modo in muliere calor ad viri ſemen effertur, poſtea deſinit. At vero in venere exercenda longe minorem, quam vir, voluptatem mulier percipit, vir vero etiam diuturniorem. Cumque majorem vir percipiat voluptatem, ei repetente ab humido majore agitatione, quam mulieri ſecernitur &c. Viros magis, quam feminas in venere oblectari judicat Marcellus Donatus *de Med. Hiſtor. mir. Lib.* 4. *cap.* 17. *p.* 396. cum ſæpenumero concipiant mulieres nulla delectatione in venereo congreſſu affe-

affectæ, nullus autem homo (ſive vir) generet, niſi oblectetur in ſeminis profuſione. Ibidem contra dictus autor mulieres in venereo congreſſu majori delectatione corripi hominibus ex Avicenna adducit. Johannis Fernelii verba *Phyſiolog. Lib.* 7. *cap.* 8. *p. m.* 181. ſic ſonant: Quoniam in animantium genere conducebat, marem & feminam ſeparare, ſolers & provida rerum natura, ut eos quandoque ad generis propagationem invitaret, & ne univerſum genus intercideret, libidinem quaſi ſtimulum ex ſeminis ardore utrique injecit, & partibus obſcœnis illecebras & admirabile congreſſus deſiderium. Quare præter teſticulos, quorum eſt ſemen generare, conditæ ſunt partes obſcœnæ, iisque inſigniores duo nervi eximii ſenſus inſerti, qui viris deſinunt in glandem, venereæ voluptatis ſedem. Dum itaque, qui concavus eſt in pene nervus, ſpiritus copia impletur, penem arrigit viasque diſtendit, per quas ſemen directe & impetu jaculemur. Veneris autem ingens facta delectatio ſeminis vaſa & teſticulos irritat. Hinc mirifice impulſum ſemen turgidumque ſpiritus ubertate vix poteſt ſuis vaſis contineri, ſed cogitur foras exilire ingenti voluptate, viris quidem quodam quaſi ſaltu ob viæ flexum & longitudinem, mulieribus vero languidius. Ut autem omnes hæ cauſæ majores ſunt in viris, quam in mulieribus, ſic illos conſtat in coitu majore voluptate teneri, quam mulieres: quamvis hæ pluribus modis oblectantur, nempe dum ſemen erumpit, atque etiam dum uterus viri ſemen avide ſuſcipit & amplectitur. Hinc Tireſias vates, qui utrumque ſexum fingitur expertus, mulierum partes viſus eſt tutari. Sic Johannes Benedictus Sinibaldus *Geneanthrop. Lib.* 10. *cap.* 5. *p.* 819. ad quæſtionem, num vir, an mulier majorem in rebus venereis voluptatem experiatur? inquit: Senex noſter libro de Genitura quæſtionem exſolvit, cum ait: multo minus delectatur femina, quam vir in coitu, & vir etiam tempore longiori; verum, ut notat Mercurialis, corruptus eſt uſitatus textus, quando in manuſcripto antiquo legitur: multo minus delectatur femina, quam vir, ſed

diutius ipſo perdurat in voluptate; quo ſane modo probabilior eſt ſententia. Deinde adducit Sinibaldus has rationes: primo quod cum homo (vir) omni calidiſſima femina ſit calidior, quid mirum, ſi magis voluptatis blandimento ille afficiatur? Etenim a ſpirituum ubertate & calore exoritur titillatio ac delectabilis pruritus; atqui ſpiritibus hujusmodi calorificis oppido magis vir, quam mulier, æſtuat; quod etiam vel inde ſuaderi poteſt, quia ſeminis multo majorem copiam vir, quam mulier effundit; ex illius vero uberiori fuſione uberior exſplendeſcit ſuavitas. Præterea cum ſenſus viri ſit magis exquiſitus & acutus, quam mulieris, fit ex eo, ut genitales partes longe magis exquiſito ſenſu præditæ ab jucundi ac delectabilis objecti præſentia vehementius afficiantur & oblectentur. Rurſus cum ſemen in viro per longiorem meatum excurrat, ampliorem voluptatem deferre par eſt; ſiquidem tanta eſt voluptas, quam longus ductus, per quem voluptifera tranſit materia; contingit enim, ut ſemen ipſum ſpumeſcat magis, & longo tractu intenſius igneſcant ſpiritus. Adde tandem, quod cum ſit perfectius agens, quam patiens, perfectiorem conditionem illud, quam hoc obtinere debet. Quodſi apud Arabes legatur, mulierem viro magis in clinopali demulceri, id erit intelligendum de voluptate diuturniori, non autem intenſiori. Enimvero virum aut mulierem delectari magis, dupliciter intelligi poteſt; intenſive aut extenſive: ſed quid eſt intenſive magis delectari? nihil nempe aliud, quam voluptatis dulcorem in intenſiori gradu haurire, quod viro accidit ob rationes adductas. Extenſive autem delectari magis eſt vel diutius in voluptate perſiſtere, vel ſecius complere; id quod mulieri contingit; quæ cum frigida ſit, in principio torpet, parumque pruritu excitatur, donec ſanguis & ſpiritus motu ferveſcant, ita ut, cum non ita cito actum complere valeat, diutius in prævia voluptate perſeveret. Secundo loco dicendum arbitratur Sinibaldus, veneris delectationem non poſſe metiri ex prævia alteratione & ex termino, puta ipſius aphrodiſii comple-

plemento. Si ad præviam alterationem ſeu motionem reſpiciamus, in hac vir magis, quam mulier oblinitur, quoniam fervidiores ſpiritus toto mixtionis curriculo magis ac magis pruriunt, cum facili negotio ille exardeſcat. Cæterum, ſi terminum & complementum ejusdem voluptatis animadvertamus, dubio procul multo intenſius penes illud delinitur mulier, quæ, ubi longa agitatione incanduit, ſeſe totam voluptatis imperio tradit; quare ex illis videre eſt, quæ in ſeminis effuſione furit, aut venereo lethargo ſoporata obdormiſcit, aut prorſus virtute langueſcit ſenſuum expers aut alio modo victæ a voluptate naturæ exantlat argumenta. Porro quælibet res, ſi ad contrarias qualitates declinet, illas intenſiſſime concipit: ita ferrum natura frigidum ſi forte incandeſcat, intenſum caliditatis gradum nanciſcitur; quare mulier natura frigida laborat quidem, ut exardeſcat, ſed ardore concepto flammam latius expandit. Inſuper delinitur mulier in veneris complemento non modo ex proprii ſeminis fuſione, ſed quia etiam, dum viri ſemine irroratur uterus, ingentem exhaurit voluptatem &c. Inquit etiam Bartholomæus Perdulcis *Phyſiolog. Sect. V. cap.* 5. *Univerſ. medic. p. m.* 113. Majorem maris, quam feminæ voluptatem eſſe ſcribit quidem Hippocrates, quod ſemen habet calidius, acrius, uberius magisque ſpirituoſum. Verum, licet mulier non tam inſigni voluptate potiatur, pluribus tamen oblectatur modis, in emiſſione ſeminis, & in exceptione; ſiquidem uterus magno virilis ſeminis deſiderio tenetur, ipſumque mirum in modum appetit & attrahit &c. Andreas Laurentius *Hiſtor. anat. Lib.* 8. *cap.* 2. *Qu.* 7. *fol.* 292. non modo cauſam voluptatis in coitu deſcribit, ſed etiam, utrum major ſit viri, quam feminæ voluptas? quærere, ridiculum eſſe addit. Pluribus, pergens, quidem modis oblectantur mulieres; nam & ſemen effundunt & virile prolectant. Qua fortaſſis ratione Tireſias vates, utrumque ſexum expertus, mulierum partes viſus eſt tutari. Sed intenſior eſt maris voluptas, quia ſemen calidius magisque ſpirituoſum celerius, &

quodam quaſi ſaltu excernitur. Et juxta Pauli Zacchiæ *Quæſt. med. legal. Lib.* 3. *Tit.* 1. *Qu.* 7. *n.* 14. *ſeq. fol.* 281. ob id majorem, ſi ad voluptatis perdurationem advertamus, voluptatem mulierem ex coitu percipere, quam virum, palam eſt, quia mulier & ex frictione & ex intromiſſione membri virilis, & ex emiſſione virilis ſeminis, tandemque ex emiſſione proprii, & per omne tempus in ſumma delectationem percipit. Hippocratis autem dictum, quod non ſolum majorem, ſed etiam diuturniorem voluptatem virum in venere exercenda percipere, quam mulierem, adſtruit, idem Zacchias verum credit, quoad actum emiſſionis ſeminum, non in toto coeundi ſpatio, quia non eſt dubium, virum ſemen emittere, & quantitate longe majus & multo craſſius, quam feminam &c. Inquit etiam Caſparus a Reies *Elyſ. Camp. Qu.* 42. *p.* 506. an vir an femina magis in coitu delectetur, multi ex junioribus dubitarunt; tamen fere omnes maris intenſiorem eſſe pronunciant, mulieris vero extenſiorem, & ex pluribus cauſis: nam ex intromiſſione & ex fricatione majus quam vir oblectamentum capit, ſemen effundit, virile prolectat. Ita accipiendus Avicenna & Galenus, cum majorem feminis voluptatem eſſe declarant; quicquid Tireſias a Jove & Junone electus, aliter mulierum partes tutando, ex utriusque ſexus experimento declaraverit apud Ovidium. Nam cum potiſſima voluptas in ſeminis expulſione conſiſtat & ex ea oriatur, homo (vir) vero abundantius multo reddat, ſpirituoſum, calidiſſimum, probe coctum & elaboratum, & per longiores vias velociter currens, hinc eſt, ut intenſior maris, quam feminæ ſit voluptas. Hoc enim jure maſculo natura conceſſit, tanquam qui pugnam primus initurus erat, & feminam invitare debebat; nam hæ conditiones mulieri denegatæ ſunt, partim ob fabricam inſtrumenti generationis & ſitus illius, partim ob ſeminis frigidiorem temperiem &c. Sententiam ſuam his verbis exprimit Georgius Wolffgangus Wedelius *Diſp. de vener. medic. & morbifer. Jen.* 1688.

habit.

habit. cap. 2. p. 13. ſingularis & indicibilis veneris ſeu congreſſus operi ſociata eſt voluptas, diviſa inter utrasque cauſas ſocias, quamvis prærogativam feminis præ maribus adſcribant longe pleniorem non pauci. Cum enim partus feminis laborioſus maxime ac doloroſus exiſtat, hinc ne a coitu & imprægnatione futuro tempore abhorreant, majorem ipſis conceſſam volunt in eo delectationem, unde Tireſias Eumaris filius voluptatis partem unam mari, novem vero mulieri obtingere dixit. Contrarium autem tenet divinus ſenex, multo minus, inquiens, delectatur femina, quam vir in coitu. Mulieres in venere magis durare judicat Henricus Salmuth *Comment. in Guidon. Panciroll. de Reb. memorab. Lib. 2. Tit.* 10. *pag.* 190. quemadmodum, inquiens, vir, utpote muliere calidior, velociores motus habet, quorum cauſa ardentius & citius deſideria ſua terminat: ita mulier, ut eſt frigidior ad cuncta atque tardior: ſic in voluptate finienda frigidiuſcule ſe habet, & perdurat magis.

§. 8.

De Tireſia, cujus hactenus aliquoties mentionem fecimus ex antiquorum fabulis referendum, illum, cum eſſet mas, in monte Cyllene ſerpentum, quos coire videbat, alterum vulneraſſe, illicoque, mutato ſexu, in feminam mutatum eſſe, ac cum viro concubuiſſe. Monitum autem oraculo Apollinis, ut, cum coeuntes ſerpentes iterum deprehendiſſet, alterum itidem ſauciaret, ita enim in priſtinum ſexum rediturum. Obſervata opportunitate, conſilium Dei fuiſſe exſecutum, itaque recuperaſſe priſtinam naturam. Porro Jove cum Junone altercante, illoque contendente, plus voluptatis e re venerea feminas percipere quam viros, Junone contrarium aſſerente; placuiſſe, ut accitus ea de re pronunciaret Tireſias, utpote utrumque ſexum expertus. Hinc interrogatum reſpondiſſe: decem in partes voluptate iſta diviſa, unam viro, novem mulieri obtingere. Junonem iratam eum oculis confoſſis excæcaſſe; Jovem ei vaticinandi artem dono dediſſe & vitam ſeptem ſeculorum. vid. Guern.

Tireſiæ judicium.

Rolfinc. *de Partib. generat. dicat. Part. I. cap.* 1. *p.* 16. Alii autores loco ſerpentum dracones ponunt, atque Tireſiam Thebanum primo feminam, & poſt ſeptem annos maſculum interfeciſſe ſcribunt.

§. 9.

Plazzoni ſententia. Hanc Tireſiæ ſententiam, qua feminis majorem in coitu voluptatem tribuit, examinaturus & coram anatomicorum & medicorum tribunali diſcuſſurus Franciſcus Plazzonus *de Partib. Generat. Lib.* 2. *cap.* 13. *p.* 154. *ſeqq.* hoc non poſſe certius indagari ſcribit, quam ſi partes utriusque ſexus, quibus delectatio percipitur, ad invicem conferantur; unde omiſſis iis rebus, quæ tam viro, quam feminæ communes ſunt, ut imaginatio, rememoratio, ſeminis turgentia, titillatio, prurigo, item exquiſitus partium ſenſus & hujusmodi, ſola argumenta ex anatome deſumpta in medium affert, & inprimis, quot modis mares delectentur, inquirit. *ratione virorum,* Prima itaque delectatio, quam mas in coitu percipit, eſt erectio penis, nam, dum erigitur, tentigo inſurgit & coeundi libido. Secunda delectatio percipitur in affricatione cum vulva facta, dum ſcilicet penis in cervicem uteri incitata reciprocatione intruditur, quæ voluptas maxime ad glandem pertinet. Tertia fit in ejaculatione ſeminis, in qua ſumma exurgit delectatio, adeo ut totum corpus deliniat, licet excreto ſemine ſtatim triſtitia ſubſequatur, & paralyſis quædam & languor membra occupet. Quarta delectatio conſiſtit in copia ſeminis, quæ cum in viro multa ſit, multa quoque eſt voluptas: & hoc verum eſſe evincunt ii, qui non ſæpe coeunt; hi enim, quia majorem ſeminis copiam emittunt, intenſiorem quoque perſentiunt voluptatem. Ultima eſt qualitas ſeminis, quod nempe in maribus eſt craſſius & calidius, unde duplex excitatur delectatio, ex craſſitie, quod non ſtatim & confertim erumpat: ex caliditate, quod calor magis partes titillet. Quod ſi Junonem audiamus, illa nullius harum delectationum participes eſſe fatebitur feminas. Non primæ, quia, cum feminæ pene careant,

non

non poterunt arrigere; eſt enim arrigere proprium marium, ut porrigere feminarum. Non ſecundæ, quia fricatio ad glandem maxime ſpectat, ſed ea deſtituuntur mulieres. Non tertiæ, cum fateantur multæ feminæ, ſe ſæpe concipere absque eo, quod ſeminis emiſſionem, & ex ea delectationem perſentiant. Non quartæ, quia parvam ſeminis quantitatem emittunt. Non denique ultimæ, quoniam cum femina natura ſit frigidior, ideo etiam ſemen frigidius & aquoſius gignit, quod tam exquiſite partes titillare non poteſt. Sed contra evanidas Junonis argutias pro Jove & veritate ſtat Tireſias, & efficaciter probat, mulieres non modo jam dictas marium delicias longe exquiſitius & intenſius percipere, ſed alias plures, quæ viros non tangunt, perſentire. Nam primo quod ad arrectionem attinet, non ſolum clitoris, ſed etiam tota cervix uteri erigitur: Clitoris & ſubſtantiæ, & ſitu & figura penem exacte repræſentat, ſolaque magnitudine & perforatione differt. Hæc igitur, dum erigitur, tentiginem & voluptatem excitat, & multo magis cum pubes viri hanc partem affricat, in illa enim voluptas ſumma reſidere creditur, adeo ut etiam digitis contrectata ſæpe ſemen profundere faciat; hinc non immerito œſtrum veneris, luxuriæ aculeus, amoris dulcedo & italice il beſevegio appellatur. Tentigine hujus penis muliebris aliquando vexata honeſta virgo, ut pruriginem hanc ſedaret, acu oſſea tentiginem perfricare cœpit, & quia vicinum erat veſicæ orificium, acum in veſicam detruſit, unde ſæviſſimi excitati dolores manum medicam requirebant, quæ etiam ab Aquapendente, me aſtante, curata fuit: in qua virgine iſtam partem ad dimidii digiti longitudinem prominere vidimus. Sed mares ex erectione penis unicam tantum ſentiunt delectationem, feminæ vero duplicem, cum in his duæ partes erigantur, clitoris & cervix, adeoque tota vulva. Faſſa eſt hoc ipſum aliquando nobilis matrona vidua, quæ in pudendis ſibi aliquid erigi & extendi affirmabat, indeque ſe in periculo pollutionis verſari: atque ea de cauſa a pio & ſancto propoſito, quod intenderat,

ratione mulierum.

derat, abſterrita fuit. Secunda cauſa delectationis in affricatione conſiſtit, qua ſane mulieres non deſtituuntur: primo enim voluptas excitatur ex affricatione in rugis transverſis cervicis; deinde in tentigine ſeu extremitate clitoridis, quæ glandi & conſtitutione, & exquiſito ſenſu reſpondet; ad hæc affricationem etiam percipiunt nymphæ duæ ſive alæ. Unde colligere eſt, feminas triplicem habere affricationem, cum vir tantum unam in glande percipiat. Tertia cauſa voluptatis pariter feminis adeſt, nimirum ſeminis emiſſio; etenim femina fatui cumni (ut ait ille) ſit oportet, quæ ſeminis emiſſionem non animadvertat, ſane omnes mentis compotes illud tam manifeſte intelligunt, ut ſtatim dicere poſſint, an & quo tempore conceperint. Quod ſi titillationem experiuntur ex ſola expreſſione illius humoris, qui in lacunis quibusdam pudendi continetur, quanto magis afficientur in emiſſione ipſius ſeminis? Reliquas cauſas quoque mulieres percipiunt, non ſolum dum ipſæ ſemen emittunt, ſed etiam dum mas, forſan ex calido ſeminis contactu, vel ex convenientia ſubſtantiæ, & familiaritate qualitatis; vel etiam, quod tunc magis intumeſcere penis virilis ſoleat, unde partes femineæ melius implentur & impenſius fricantur: id quod argumento eſt, quod feminæ in emiſſione ſeminis virilis magis criſſare, & ſeſe alacriori motu ad illud excipiendum attollere deprehendantur. Sed præter jam dictas delectationum illecebras pluribus aliis voluptatis prærogativis gaudent feminæ, quæ maribus denegatæ ſunt. Una ex ipſo utero dependet, qui tam avide arripit, ut illud longius ad ſe alliciat, imo obviam ei occurrat, & quaſi manibus apprehendat. Altera eſt, quod mulier poſt ſemen excretum & coitum peractum nulla afficiatur triſtitia, ut mares ſolent, nihil enim ſui deperdit, imo aliquid a viro accipit, & gaudia hæc omnia domi ſuæ peraguntur. Quodſi jam ſuperius enarratas delectationes in uterum conjunxeris, videbis, viros a mulieribus multis paraſangis coitus delectatione ſuperari. Erat autem hoc rationi & utilitati humanæ maxime conſentaneum:

taneum: nulla enim mulier futurarum moleſtiarum conſcia, ut laborioſæ uteri geſtationis, difficilis & periculoſi partus, liberorum ſolicitæ & dubiæ educationis & nutritionis, conceptioni & procreationi operam daret, niſi voluptatis vehementia & dulcedine ad coitum traheretur, & moleſtias cum delectatione librans, hanc illas efficaciſſime vincere noviſſet. Hæc Plazzonus.

§. 10.

Quod vero allegatus autor de avida uteri contractione ac deſiderio ſeminis adducit, recentioribus autoribus diſplicet, multique horum in decidenda hac quæſtione dubii manent, e.g. Marcellus Donatus *de medic. hiſtor. mirab. Lib.* 4. *cap.* 17. *pag.* 397. ſcribit: harum opinionum quæ potior ſit magisque recipienda, non ipſe facile protulerim, quamvis Tireſias, utrumque ſexum expertus, apud Ovidium ſententiam protulerit adverſus Junonem, cum Jove ipſius marito contendentem, viros magis quam mulieres in coeundo voluptate teneri. At experimentum comprobat, modo mulieres, modo viros ſalaciores cæteris reperiri, prout vario particulari temperamento præditi ſunt. *Sententia eſt dubia.*

§. 11.

Id quod mea quidem ſententia non ſolum de ſalacitate extra cohabitationem, & pruritu venereo, ſed etiam de voluptate in coitu locum habet, ſiquidem quasdam feminas ſine ulla vix ſenſibili voluptate actum conjugalem admiſiſſe legimus, nam juxta Petr. Pachequ. *Obſ. Riverio communic. p.* 266. Mulier quædam, prolis cupidiſſima, ſed appetentia veneris nullo modo laceſſita, ſtimulos veneris medicamento quodam accendebat. De nobilis cujusdam uxore, quæ toto matrimonii tempore ad actum venereum a marito commoveri non poterat, ſeque inde nihil penitus voluptatis, aut titillationis, unquam percepiſſe, fatebatur, nec magis ſentire, quam alioquin ab externo cutis contactu alibi ſentire ſoleat, vid. Felic. Plater. *Obſ. Lib.* 1. *p.* 260. quo loco etiam alius Dominæ generoſæ meminit, quæ non *nulla voluptas in coitu.*

 modo

modo a primo matrimonialis concubitus actu nihil penitus ex congreſſu afficiebatur, aut jucunditatem aliquam ſentiebat, ſed etiam adhuc virgo nunquam ullum ſtimulum, aut per nocturnas imaginationes aut alio modo ſenſerat, aut toto virginitatis tempore, usque ad annum quadrageſimum durante, appetitu aliquo femineo affecta fuerat. De duabus infœcundis mulieribus, citra ullum delectationis ſenſum, juxta propriam ipſarum confeſſionem, congreſſum patientibus, in quibus internum uteri orificium coalitum, inque collo rugarum defectus deprehendebatur, vid. Hiſtor. Morbor. Vratislavienſ. *An.* 1702. *pag.* 210. Hinc etiam ſcribit Nicolaus Venette *dela Generat. de l'homme Part. III. Cap.* 4. *Art.* 3. *p. m.* 391. J'avouë, que le plaiſir n'accompagne pas toûjours la conception, & je ne ſaurois croire, que ce ſoit le ſeul écoulement de la ſemence des femmes, qui leur cauſe des contentemens. Le chatouillement, qu'elles reſſentent des parties de l'homme, & la forte imagination qu'elles ont dans le combat amoureux, en ſont la principales cauſes, ſi bien que je ne m'eſtonne pas, s'il y en a eu quelques-unes, qui, n'ayant pas la liberté de l'imagination & du chatouillement, ont engendré ſans plaiſirs. Rationem, cur citra voluptatem mulieres ſæpe concipiant, cenſet du Vernay adſcribendam ſuperfluæ earum ſeminis copiæ, ob quam contingat extenſio extraordinaria vaſorum id continentium, quapropter obſtupeſcat ſenſus filamentorum nerveorum eorum ſtructuram conſtituentium. vid Nicol. de Blegn. *Zodiac. med. Gallic. An.* 2. *menſ. Mart. Obſ.* 3. *p.* 72. Domina quædam magnifica ſemper poſt congreſſum peſſime ſe habebat, & ſæpe virum ſuum deprecabatur, ut ab eo abſtineret, neque delectabatur in venere, juxta Joh. Bapt. Montani *Conſult. Med. Conſil.* 16. *fol. m.* 39. Congreſſum maritalem absque ulla voluptate refert Roſinus Lentilius *Miſcell. medic. pract. Part. I. p.* 80. *ſeq.* ſcilicet neogami per annos ultra tres ſine ulla voluptate, imo cum faſtidio coibant. Maritus aſſeverabat, ſe olim cum proſtibulis ſumma cum voluptate rem habuiſſe,

nunc

nunc autem ſibi moleſtum eſſe cum uxore congreſſum. Uxorcula, forma haud aſpernenda, nil quicquam etiam ſe voluptatis in coitu ſentire querebatur, quin elapſa vix poſt amplexus venereos hora dimidia in vagina ſenſum ardoris permoleſti, qualis eſſe ſolet urinæ ardor, percipere &c. Quamvis etiam in viris ordinarie ſeminis ejaculatio cum voluptatis ſenſu fieri ſoleat, vixit tamen Venetiis mercator egregius in coitu voluptatem non ſentiens, cui viro equidem erigebatur penis, ejiciebatur ſemen copioſum, & craſſum, ſed citra voluptatem & delectationem. vid. Jul. Cæſ. Claudin. *Conſult. medic. Conſ* 12. *p. m.* 351. Mihi ipſi etiam nota eſt femina, quæ rariſſime ſolitam in coitu voluptatem ſenſiſſe, ideoque quovis modo & precibus cohabitationem viri declinaſſe, in hujus id confirmantis præſentia ſancte conteſtabatur, aliquot tamen liberorum mater. ***Obſervatio.***

§. 12.

Interim minime negandum, quam plurimas feminas voluptate in coitu viros longe ſuperare, & quidem partim ob clitoridem, quam nonnulli veneris dulcedinem & voluptatis ſedem nominant, eamque ob titillationis venereæ cauſam conſtructam eſſe ſtatuunt, de qua *Muliebr. Sect. II. Cap.* 2. §. 9. *p.* 81. pluribus egimus. Partim ob plicas vaginæ uterinæ, & reliquas a Franciſco Plazzono paulo ante adductas cauſas; de quibus, imprimis de ſemine muliebri, a quo hactenus allegati, & omnes veteres autores, delectationem in congreſſu maximopere derivant, paucis monendum venit, illum humorem, qui plerumque a feminis in coitu excerni ſolet, atque priſcis medicis ſemen dicitur, minime verum eſſe feminarum ſemen, ex quo homo generatur, (id quod proprie in ovarii ovulo continetur,) ſed ſolummodo humorem quendam glanduloſum, in vaginæ uterinæ glandulis ſecretum, perque lacunas in coitu effluentem, quem neoterici liquorem proſtatarum vel lucunarum appellare amant. Absque dubio autem ab ejusdem abundantia & acrimonia feminæ in coitu magnam voluptatem perſentiunt, uti loco jam allegato *Sect. II.* ***Voluptatis in coitu cauſæ.***

 Cap.

Cap. 4. §. 7. pluribus monſtravimus. Neque tamen verum ſemen muliebre, ovula ſcilicet eorumque meatus, ab hac venerea titillatione in coitu a recentioribus excluduntur, ſiquidem, cur tubarum extremitates, extra conceptionis momenta, liberæ & ab ovariis ſolutæ eſſe debeant, Johanni de Muralt. *Clav. Medicin. Exercit.* 9. *p.* 405. *ſeq.* ſequens cauſa videtur, nempe ut ovo, modo in ſuperiore, modo inferiore ovarii ſive teſticuli, parte erumpenti in obvios amplexus commodius ſe aptare poſſint: dein cum natura in toto conceptionis negotio voluptati plurimum conſultum voluerit, non parum gratæ delectationis, ab extremitatis tubarum amplexu teſticulo ſive ovario perquam ſenſili, atque inde corpori univerſo conciliari videtur. Et juxta Regnerum de Graaf *de Mulier. Organ. cap.* 14. *p.* 345. *ſeq.* membranoſa fimbriarum in tubis expanſio blanda ſubeuntis ſeminis titillatione undique ſeſe teſtibus applicat; ita ut ſeminalis aura aliorſum, quam ad teſtes, properare nequeat: Ex quibus conſtat, virile ſemen in coitu quandoque ad tubas aſcendere; quod in illis fortaſſis titillationem & ingentem illam voluptatem excitat, quam in coitione prolifica mulieres ſeſe perſentire fatentur. Huic tamen, de voluptate in coitu ab ovulis dependente, ſententiæ contradicit, eamque potius liquori proſtatarum, cujus modo mentionem fecimus, adſcribit Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 24. *fol. m.* 136. quærens ſcilicet, ſi ova per tubas in uterum deferantur, & nihil aliud ſeminis ex teſtibus effluat, unde tunc procedat illa voluptas, quæ in coitu feminis gravidis contingit, in quibus tamen eo tempore nulla ova de novo ad uterum feruntur, propter tubarum extremitates, tunc exactiſſime clauſas? item in quinquagenariis, quibus nulla amplius ova in ovariis ſuccreſcunt aut continentur? ut & in iis, quibus uterus per morbum, ſcilicet uteri prolapſum exſectus eſt, atque hinc nulla ova deorſum deferri poſſunt? Propterea unde procedat illud ſemen, quod mulieribus in coitu cum ſumma voluptate in vaginam influit, & per pollutionem in nocturnis de venere in-

ſomniis

ſomniis interdum foras erumpit? Reſpondendum, in coitu magnam illam voluptatem non tam oriri ab ovis ex ovario ad uterum transeuntibus, quam potius ex eruptione illius ſeminis (ſi ſemen appellandum ſit) quod prodit ex glanduloſa ſubſtantia cervicem veſicæ cingente, quod ſemen æque in gravidis atque in maturis non gravidis, ut & in iis, quibus uterus exſciſſus eſt, nec non per venerea inſomnia ſumma cum voluptate in vaginam uterinam erumpere poteſt. Præterea ſciendum, in coitu mulieribus non tantum a dicta ſeminali materia in vaginam erumpente, ſed magnam quoque voluptatis partem procedere ex fricatione clitoridis, ſicuti viris contingit ex frictione glandis penis. Hæc Diemerbroc. Denique voluptatem hanc in feminis etiam a virorum præputio augeri ſtatuit Albertus Kyperus *Anthropolog. Lib.* 1. *cap.* 9. *p. m.* 141. inquiens: Præputium devolutum & revolutum ſupra glandem diverſa ratione in conjunctione maris & feminæ miram voluptatem feminis concitat, unde recutitorum vel circumciſorum feminæ magis delectantur copia eorum, quibus præputium ſalvum eſt. Et juxta Gabriel. Fallop. *de Decorat. cap.* 10. *Oper. Tom.* 2. *fol. m.* 340. Quod præputium in cauſa ſit, ut majorem ſentiant feminæ delectationem, indicio ſunt Judææ, Turcæ ac Mauritanæ & infideles mulieres, quæ libentius mancipiis Chriſtianis, quam dominis reſectis ſe ſubjicere patiuntur & volunt.

§. 13.

Ad majorem utriusque ſexus in coitu excitandam libidinem varias laſcivas vitioſitates excogitavit venus, pœna utique ex mente multorum digniſſimas, quas etiam Joh. Georg. Simon. *de Impotent. conjug. Cap.* 4. *Th.* 1. *n.* 9. *p.* 83. ſi ſolius libidinis ergo ſuſcipiantur, non improbat, ubi ex Jodoco Damhoudero adducit: quatuor beſtiales concumbendi modos ponit Albertus: Primus eſt, quando mulier cognoſcitur lateraliter; ſecundus pejor, quando cognoſcitur ſedendo; tertius pejor ſecundo, quando cognoſcitur ſtando; peſſimus vero eſt quartus, quando *Venus vitioſa.*

 cogno-

cognoſcitur veluti beſtia tergotenus; & quintus etiam inter præfatos ſimiliter quarto peſſimus ille eſt, quando mulier ſupergreditur virum &c. Ab ejusmodi autem cohabitandi modo monſtra oriri poſſe docet Albertus Magnus *de ſecretis Mulier. p.m.* 86. quidam, inquiens, fœtus monſtroſi procedunt ex parte coitus cum femella, ſic quod ad monſtroſitatem multum operatur inordinatus coitus, ex eo quod aliquando maſculus eſt in coitu cum femella, ſi tunc maſculus tempore coitus inordinate jacet cum femella, monſtrum facit in natura. Narratur enim de quodam, qui lateraliter jacuit ſuper femellam tempore coitus, & femella generavit puerum in uno latere curvum, & in pede claudum, & cauſa hujus ex inordinatione coitus proceſſit &c.

§. 14.

Per coitum virginitas amittitur.

Pro ſentienda autem hac libidine ſeu coitus voluptate maturæ & puberes puellæ, libertati & appetitui ſuo relictæ, ad coitus delicias ſtimulantur, & quandoque omnem deponendæ virginitatis occaſionem quærunt, ſicque virginalem ſuum ſtatum vel in matrimonialem vel in meretricium mutant. Quamdiu enim puellæ atque virgines congreſſum ſeu cohabitationem virilem non admittunt, tamdiu pro veris & illibatis virginibus ſunt habendæ; quamvis etiam virginale clauſtrum ab extraordinaria læſione, vel alio inſtrumento, quam mentula virili, corrumpatur, virginitatis tamen titulum non amittunt; cum juxta Philipp. Verheyen *Anatom. Tr.* 2. *cap.* 30. *p.m.* 205. virginitas formalis ſit abſoluta congreſſus maſculini negatio in muliere; & virgo formaliter ſumpta ſit, quæ nunquam rem cum mare habuit. Et ſecundum Pauli Zacchiæ *Quæſt. med. leg. Lib.* 4. *Tit.* 2. *Qu.* 1. *n.* 3. *fol. m.* 375. dicitur virginitas, quamdiu vaſa muliebria a maris conjunctione illibata ſervantur, quia etiamſi vel ipſis manibus, vel alio quocunque inſtrumento clauſtra virginalia frangi ac reſerari poſſint, ut notant ex medicis Paræus, Codronchius, Rodericus a Caſtro, & ex Jurisconſultis Guazzinus, tamen, quamdiu a maris conjunctione ea illibata virgo ſe ſervabit,

bit, tamdiu virginitatem ipſam incolumem & incorruptam cuſtodiet, ſi de virginitate ſic accepta loquatur. Neque enim minus virgo dici poteſt, quæ virginalia clauſtra alio inſtrumento, quam virili disrupit, quam ſi pedem aut manum disrupiſſet. Licet ſi laſciviens præſtitiſſet, mentalem virginitatem illico absque dubio amiſiſſet. Simul vero ac virgines marem ad congreſſum realem admiſerunt, tunc ſtatim corruptis ac defloratis, & quidem vel meretricibus vel uxoribus annumerantur, prout nimirum coitus fit legitimo vel illegitimo modo. Legitimus coitus ordinarie præſcitu parentum, ſi qui adſunt, in matrimonium conſentientium, poſt benedictionem ſacerdotalem conceditur, illegitimus autem utplurimum voluntarie & rariſſime per ſtuprum exerceri ſolet.

§. 15.

An virginitas totaliter actu venereo perdatur?

Ad quæſtionem, num virginitas totaliter perdatur coitu vel actu venereo? ita reſpondet Henricus Kornmannus *de Virginit. Cap.* 28. *p.* 90. *ſeq.* Angelus Clavaſinus in *Summa in verbo virginitas* §. 2. Quæ requiruntur, ut amittatur virginitas? Reſp. quod requiritur primo pollutio completa, ubi ſciendum dicit, quod triplex humor de genitalibus ſtillat, ſcilicet ſemen, ſecundus humor ſimilis ſemini, qui eſt medius, & ſtillat quandoque ex ſolo tactu vel auditu turpium, tertius eſt urina. Perditur autem virginitas per ſolam ſeminis reſolutionem, quæ locum coitus ſupplet, vel ejus complet delectationem. Secundo requiritur ut amittatur, quod talis delectatio ſit ex voluntate operante vel conſentiente, vel non diſſentiente, vel non, quantum poteſt, renitente; nam voluntate de medio ſublata omnis actus eſt indifferens. Bald. *in l. fœdiſſimam. per illum text. C. ad Jul. de Adult.* Non ergo deſinit eſſe virgo, cujus virginalis clauſtri eruptio facta eſt medicinali arte, ita morbo exigente, ut docet Maſc. *de probat. in concluſ. incip. virginitas n.* 7. Thom. Actius *de infirm. p.* 2. *lit. V. verb. virginitas.* Alii tamen volunt, quod ſi etiam pollutio non ſequatur, ut in illis, qui ſunt ante tempus, ſeminis, qui

tamen

tamen explent coitum, vel per turpem actum, vel per commixtionem cum alio & hujusmodi amittatur, & placet, tamen per pœnitentiam recuperabitur. Ulterius §. 3. 4. 5. hinc Mart. Navarr. *in comp. man. præc. 6. n.* 1. Vis, inquit, abſoluta & coactio ad fornicandum ſine conſenſu voluntatis, licet aliquam delectationem accipiat, de ipſo actu, dummodo non cooperetur, neque in ipſum actum, neque in delectationem conſentiat, excuſat a peccato & amiſſione virginitatis ex S. Lucia. Idem *d. lib. præl.* 6. *n.* 3. Non eſt peccatum, quando omnino renitentis puellæ virginitas violatur, adde quod nec corrumpitur virginitas, ſed duplicatur ad coronam teſte S. Lucia Syracuſana, ut refert Gratianus 23. *q.* 5. Hæc vero ex Kornmanno allegata non æque de virginitate corporali, quæ huc pertinet, quam de mentali, ſeu ſpirituali (de qua differentia in Parthenologia noſtra *Sect. II. Cap.* 1. §. 3. egimus) ſunt intelligenda. De coitu violento ſeu ſtupro, cujus modo mentionem fecimus, paulo poſt plura adducemus.

§. 16.

Coitus ætas. Ordinarium autem coitus tempus, ſive qua ætate feminæ ad congreſſum cum maribus exercendum nuptiasque celebrandas aptæ & habiles ſint, in Parthenolog. *Sect. I. cap.* 3. pubertatis annos judicavimus, quamquam juxta Hippocratem, apud Sauromatas virginibus etiam puberibus, non niſi poſtquam tres hoſtes interfecerant, nubere vel mares admittere licuerit. Nihilominus tamen varia tam puellarum fereque adhuc infantum, quam vetularum quoque congreſſum quandoque fœcundum cum maribus celebrantium hinc inde leguntur exempla. Sicuti enim in Spermatolog. noſtr. *Cap.* 4. §. 16. *p.* 185. pueros, ſeptem, octo, novem, decem, undecim & duodecim annorum, non modo ad coitum, ſed etiam ad imprægnationem & generationem aptos allegavimus, ita etiam in quibusdam, imprimis orientalibus, nationibus puellas pubertatis annos nondum ingreſſas ad cohabitationem & conceptionem habiles reperiri, teſtantur autores.

§. 17.

§. 17.

Ex quibus Plinius *Hiſtor. Nat. Lib. 7. cap. 2. fol. m.* 107. Mandrorum Indorum feminas ſeptimo ætatis anno parere, idem in Calingis, ejusdem Indiæ gente, quinquennes concipere refert. Cujus tamen autoris fidem in dubium vocat Rodericus a Caſtro *de Nat. Mulier. Lib. 2. cap. 12. p.* 89. inquiens: Quia noſtri Luſitani (qui forti præpotentique animo & bellica virtute totas illas regiones peragrarunt, & ad earundem intima penetrarunt, quæque rariora ſibi viſa ſunt, inclytis literarum monumentis ſedulo conſecrarunt) hujusce rei nullibi (quod ſciam) meminerunt, figmentum potius & excogitatum videtur. Plinii tamen de præcoci coitu relationem alii quoque confirmare videntur peregrinatores; ſcribit enim Johannes Albrechtus *von Mandelslow Epiſt. ad Adamum Olearium fol. m.* 10. *Die Benjanen nehmen, gleich wie die Rasbuten, aufs höchſte zwey Frauen, mit welchen ſie ſich gar jung trauen im zwölfften und neunten Jahre, ſpielen ſo lange, biß der Ernſt folget.* Et *fol.* 11. inquit: *Ob wohl bey denen Rasbuten die Manier, Kinder von* 4. *biß* 5. *Jahren mit einander zu trauen, auch wohl dem Beyſchlaff als Kindern zu vergönnen, ſcheinet es doch wider die Natur zu ſeyn, wie doch geſchehen ſeyn ſoll, daß nehmlich ein Rasbuth mit ſeiner Frauen eine Tochter gezeuget, welche im andern Jahre ihres Alters ſo groſſe Brüſte als eine ſäugende Frau bekommen. Dieſes Kind hat nach dem dritten Jahre ihres Alters, weiblichem Gebrauch nach, ihre ordentliche* Menſes *bekommen: Im vierten Jahre haben ſie wieder aufgehöret, der Leib aber iſt ihr aufgelauffen, als einem ſchwangern Weibe: Im fünfften Jahre iſt das Auffbleben des Leibes etwas verſchwunden: Im ſechſten aber hat ſie einen jungen Sohn gebohren: Dieſe Rasbuten und Banjanen haben den Gebrauch, wenn ſie ihre Kinder ſo jung mit einander verlobet, und der Knabe vor der fleiſchlichen Vermiſchung abſtirbet, darff das Mägdgen ihr lebetage nicht wieder verheyrathet werden, noch einigen Schmuck an ihrem Leibe tragen.* Inquit etiam Arnoldus Montanus *in der Geſandſchafft an die Kayſer in Japan fol. m.* 365.

Puellarum.

M

m.365. Es iſt merckwürdig, daß die Japaner ihre Kinder vielmahls an einander verloben, weil ſie noch in der Wiege liegen; welches manchmahls die Verlobten ohne einige Verſäumniß vollziehen. Auch verehlichen ſie ſich meiſtentheils jung: aber ſo gar frühe nicht als die Moßkowitiſche Jungfrauen, die in ihrem zehnden oder eilfften Jahre in den Eheſtand treten. Joſeph Scaliger meldet, daß ein Franzöſiſcher eilffjähriger Knabe ſeine Blutsverwandtin von neun Jahren geſchwängert. Der Pabſt Gregorius *hat auch ein ſiebenjähriges Mägdlein gekennet, welches von einem Knaben, der nur zwey Jahr älter geweſen, befruchtet war.* Item *pag.* 441. inquit idem Montanus: *Die* Negopatami*ſche Eltern verehlichen ihre Kinder, wenn ſie acht oder neun Jahr alt ſind.* Et juxta Thevenot Itinerar. *Part. III. Lib.* 1. *cap.* 29. *p. m.* 100. dicit: *An der äuſſerſten Grentze der Provintz* Azmer *ſind die Mädgen gar zeitig mannbar, und es giebet auch an vielen andern Orten in Indien dergleichen, wo die meiſten im achten oder neunten Jahre einem Manne beywohnen, und Kinder im zehenden Jahre gebähren.* Item Walther Schultze *in der Oſt-Indian. Reiſe-Beſchreib. Lib.* 2. *cap.* 20. *fol.* 195. refert: *Daß die* Cingalen *ſich gantz frühe verheyrathen. Die Töchter (ſo fern ſie reich und ſchön ſind) haben mehrentheils ihre Jungferſchafft bereits verlohren, ehe und bevor ſie wiſſen, was Kinder-Zeugen auff ſich hat: ungeachtet die Männer, welche ſich mit ihnen verehlichen vvollen, um die Gevviſsheit ihrer Jungfrauſchafft ſich fürnehmlich bemühen. Auf ſolche Weiſe findet man Weiber von zehen oder eilff Jahren.* Idem *Lib.* 3. *cap.* 15. *fol.* 229. ait: *Derer Javaner Kinder, ſo vvohl Mägdlein, als Knäblein lauffen mehrentheils in denen erſten zehen Jahren nacket, nur daß ſie ein Röcklein um den Leib geſchlagen haben. Wenn ſie* 13. *biß* 14. *Jahr alt ſind, vverden ſie bereits verheyrathet.* De virginibus Ægyptiacis ſcribit Joan Mocquet *Itinerar. Lib.* 4. *p.* 228. *Um Goa verheyrathen ſich die Jungfern ſehr jung, gemeiniglich in dem neunten Jahre ihres Alters, vvelches vvenn ſie es überſchritten, und zum höchſten das* 12. *oder* 13. *Jahr erreichet, begehret ſelbige aus Furcht ihrer allbereit verſchertzten Jungferſchafft*

ſchafft niemand mehr zur Ehe, vvelches vvegen dieſer hitzigen und geilen Lande auch gemeiniglich ſich in der That alſo befindet. Ex alio autore refert Johann. Jacobus Saar Oſt-Indian. Reiſe von der Inſul Ceilon *fol. 62. ſeq. Das vveibliche Geſchlecht iſt allhier ſehr brünſtig, alſo daß eine Tochter kaum ihre* 10. *oder* 11. *Jahr erreichen mag, daß ſie ſich nicht ſchon verheyrathe, und ſo ein Vater ſeine Tochter in die Ehe giebet, ſo beſchläfft er ſie zuerſt, und ſagt, daß es ihm gebühre, von dem Baume, den er gepflantzet, die erſte Frucht zu genieſſen.*

§. 18.

Maturioris pubertatis ſive pauciſſimorum annorum puellas cum maribus congreſſum celebraſſe atque peperiſſe, teſtantur etiam alii autores. Inter alios enim Colchorum mores annotavit Augerius Gislenius Busbequius *Legation. Turcic. Epiſt.* 3. *p.m.* 207. quod rara ibi ſit pudicitia. Maritus enim uxori vel ſorori adventorem commendat, ut eum oblectet, ne tædium ſit temporis, de reliquo parum ſolicitus, quin placere ſuas uxores, glorioſum ducunt. Nec puellarum adſtrictior cuſtodia eſt, aut melior diſciplina. Paucas invenire eſt adultas, quæ ſint virgines: oſtenduntur pleræq; matres anno ætatis decimo: quod cum mirere, neque propter corporis parvitatem credas; Juſſæ infantem proferunt, grandi rana haud multo majorem, cum alioqui gens procera ſit & forma membrorum egregia. A. C. 1278. puellam quandam in Suevia anno ætatis octavo puerum peperiſſe, ex annalibus Suevicis refert Chriſtianus Matthiæ *Theatr. hiſtor. polit. p. m.* 970. Puellam octennem in pago Cellam puellum feliciter peperiſſe, ex Cruſii Annal. Suevic. refert Müllerus *Diſp. de Jure Prægnant. Cap.* 2. *Theſ.* 2. *p.* 9. Anno 1336. puellam novem annorum ad confluentiam Rheni & Moſæ ex ſervo concepiſſe, atque puellum peperiſſe, dicit Johannes Wolffius *Lection. memorab. Tom. I. Centur.* 14. *fol. m.* 507. De puella octavum agente annum imprægnata, vid. Johann. Schenck. *Obſ. med. fol. m.* 559. Duæ puellæ, quarum una ſeptem, altera novem anno- *alia exempla.*

 rum,

rum, non ſemel, ſed aliquoties, donis allectæ, paſſæ ſunt, ſe a duobus ſubagitari, quorum unus ſeptuaginta ſex annorum erat, alter virili ætate. Ob quod delictum ſeni caput abſciſſum, alter fuga ſupplicium evaſit. In utraque puella introitus orificii uteri dilatatus erat, ſicuti in feminis, quæ marito conſueverunt, eſſe ſolet, juxta Felic. Plater. *Obſerv. med. Lib.* 3. *p. m.* 600. Puella octoennis in Myſnia, a novenni juvene imprægnata, puellam enixa eſt juſto partus tempore, referente Johanne Sophronio Kozak *de Sale Cap.* 8. *Sect.* 12. *p.* 253. Puellas novem annorum concepiſſe, ex Leonardo Fuchſio & Savanarola recenſet Johannes Benedictus Sinibaldus *Geneanthrop. Lib.* 2. *Tract.* 3. *cap.* 13. *p.* 242. Scribit etiam Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. V. hiſt.* 17. *p.* 32. Vidimus in hoſpitio noſtro Lugduni ad confluentem Rhodani & Araris ſervam grandævam, quæ olim anno ætatis ſuæ decimo nupta viro 38. annorum, ætatis duodecimo puerpera fuerat. Cujus etiam in patria exemplum meminimus. Inter Brachmannas in India id uſitatum, quæ quinto, ſexto &c. anno elocantur, puerperæ nonnunquam ante decimum annum fiunt. De puella novenne prægnante & alia octavo anno concipiente, vid. Franciſc. Torreblanc. *de Magia Lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 18. *p.* 218. Une jeune fille demeurant dans un village a deux ou trois lieuës de la ville d'Ypres, qui n'avoit point encore neuf ans accomplis, accoucha au mois de Mars de l'année 1681. d'un gros garçon plein de vie, au grand étonnement de ſes parens. vid. Journal des Sçavans 1684. *Tom.* 12. *p.* 186. Ego, inquit M. Antonius Ulmus *Phyſiol. Barb. hum. Sect. III. cap.* 9. *fol. m.* 293. *ſeq.* cognovi puellam ſeptennem, nec vel menſe altero ſive tertio ſuperiorem, quæ fuit compreſſa ab uno ex famulis meis; hæc autem puella ferebat hunc virum quotidianæ ſtaturæ, atque deperiit eundem a tertio vel quarto concubitu. Narrata mihi fuit etiam de puella octenni ultramontana, viros depereunte eadem fere hiſtoria. Ibidem etiam addit Ulmus, Marſilium Papiæ puellam annorum novem imprægnatam vidiſſe. Plura adhuc gravida-

vidarum atque parientium puellarum exempla ad aliam occaſionem reſervabimus.

§. 19.

Licet autem coitus principalis finis ſit legitima ſobolis procreatio, nihilominus tamen apud jurisconſultos quæſtio occurrit: num virgo ad ſanitatis conſervationem conjugalem actum admittere debeat, ipſique medicus ſalva conſcientia ſuadere poſſit? de qua quæſtione ratione utriusque ſexus in Spermatolog. noſtr *Cap.* 12. *Qu.* 1. *p.* 551. *ſeqq.* pluribus egimus. Ad hanc autem de virginis coitu quæſtionem, quia de actu illicito agit, negative reſpondet Henricus Kornmannus *de Virginitat. Cap.* 83. *p.* 186. inquiens: non poſſe absque veniali peccato dixit Turr. Crem. *in Cap. quicquid verſ. quinto poteſt.* 32. *q.* 2. Coitus autem cum non conjuge penitus eſt illicitus, etiam ad vitandam mortem *ex commun. viv. deciſ.* 323. *num.* 18. *lib.* 2. *&c.* & juxta Paul. Zacch. *Quæſt. med. leg. Lib.* 6. *Tit.* 1. *Qu.* 5. *n.* 2. *fol.* 493. medicus non poteſt quicquam, quod contra animæ ſalutem ſit, ægris ſuadere: ſiquidem medicina, ſi res intimius perſcrutetur, non quærit ſimpliciter corporis ſanitatem, ita ut de anima non ſit ſollicita, imo potius contrarium quærit, nempe corporis ſanitatem, ad hoc ut animus valeat & ſit mens ſana in corpore ſano; alias incaſſum laboraret &c. Licitum autem coitum pro ſanitatis remedio tuta conſcientia a medico ſuaderi poſſe, *n.* 7 *fol.* 494. ibidem dictus autor defendit. Quare ejusmodi virgini ægrotanti, ſi fuerit nubilis, & medicus actum conjugalem ipſius morbo proficuum judicaverit, coitum legitimum atque matrimonium contrahendum ſuadeat. vid. etiam Spermatolog. noſtr. *Cap.* 12. §. 1. *p.* 552.

an coitus virgini ob ſanitatem ſuadendus?

§. 20.

Nonnullis tamen nationibus gentilibus in uſu legibusque conceſſum fuit, ut virgines ante nuptias vel ante primum ſponſi congreſſum alios antea admitterent, uti de Volſinienſium urbe refert Valerius Maximus *Lib.* 9. *Exempl. extern.* 2. *p. m.* 751. Erat

virginum coitus ante nuptias

dicta urbs opulenta, erat maribus & legibus ornata, Etruriæ caput habebatur; ſed poſtquam luxuria prolapſa eſt in profundum injuriarum & turpitudinis cecidit, ut ſervorum ſe inſolentiſſimæ dominationi ſubjiceret. Qui primum admodum pauci ſenatorum ordinem intrare auſi mox univerſam rempublicam occupaverunt. Teſtamenta ad arbitrium ſuum ſcribi jubebant: convivia cœtusque ingenuorum fieri vetabant: filias dominorum in matrimonium ducebant. Poſtremo lege ſanxerunt, ut ſtupra ſua in viduis pariter ac nuptis impunita eſſent, ac ne qua virgo ingenuo nuberet, cujus caſtitatem non ante ex numero ipſorum aliquis delibaſſet. Id ipſum Herodotus etiam Naſomonibus tribuit, apud quos, juxta Henric. Salmuth *Comment. in Panciroll. Rer. memorabil. Lib. 2. Tit.* 10. *p.* 174. *ſeq.* præterea, ut & Baleares in uſu eſſe ſcribit Alexander Sardus, ut prima nocte nova nupta ſingulos admittat convivas, a quibus ineatur, & dona recipiat; marito poſtremum ſuccedente. Quas primitias inſulæ Fortunatæ regibus, Calicutæ ſacerdotibus offerunt, ut conſtanter aſſeverant, qui ad Indos navigant: Sane locus, in quo Tyrrhenorum itemque Lydorum virgines ſervis proſtituebantur, γλυκὸς ἀγκὼν, id eſt, dulcis cubitus, dicebatur &c. Secundum Joh. Georg. Simon *de Impot. Conjug. cap.* 8. *p.* 157. Adrimachidæ virgines maturas exhibebant regi, & quæ ſibi placebant, illas ipſe devirginabat. Evenus II. Rex Scotorum inter cæteras hanc legem tulerat, ne rex nobilium, nobilis plebejarum ſponſarum pudicitiam prælibarent ante nuptias. Alibi locorum ex ea ratione, ne ſponſus in primo coitu, imprimis virgine arcta, dolorem vel alia incommoda ſentiat, ſponſæ ſervis deflorandæ committuntur; uti ex Athanaſio & Strabone refert Nicolaus Venette *de la Generat. de l'homme Cap.* 2. *Art.* 3. *p. m.* 41. his verbis: je ne m'étonne pas, ſi les Phœniciens, au rapport de St. Athanaſe, obligeoient leur filles par des loix ſeveres de ſouffrir avant que d'eſtre mariées que des valets les defloraſſent: & ſi les Armeniens, ainſi que Strabon le rapporte, ſacrifioent les

a ſervis.

leurs

leurs dans le temple dela Deeſſe Anaitis, pour y eſtre depucelées, afin de trouver enſuite des parties plus avantageux à leur condition. Car on ne ſauroit dire, quels epuiſemens & quelles douleurs un homme ſouffre dans cette premiere action, au moins ſi la fille eſt étroite. Bien loin d'eteintre la paſſion d'une femme, ſouvent on luy cauſe tant de chagrin & de haine, que c'eſt pour l'ordinaire une des ſources du divorce des mariages. Il eſt bien plus doux de baiſer une femme accoûtumée aux plaiſirs de l'amour, que de la careſſer, quand elle n'a point encore connu d'homme. Car comme nous prions icy un ſerrurier, de faire mouvoir les reſſorts d'une ſerrure neuve, qu'il nous apporte, pour eviter la peine, que nous y pendrions le premier jours ainſi les peuples, dont nous venons de parler, avoient raiſon d'avoir établi de ſemblabes loix. Huc pertinet etiam *ob pœnam.* defloratio virginum ante pœnam capitalem; Romæ ſcilicet olim nefas erat virgines ſtrangulari, idcirco Tiberius juſſit immaturas puellas, more tradito, vitiari prius a carnifice, dein ſtrangulari, quod in filia Sejani factum eſſe ſcribit Joannes Riolanus *Anthropogr. Lib.* 2. *cap.* 35. *fol. m.* 195. Plura de ejusmodi virginum & ſponſarum ante nuptias defloratione recenſet Jacobus Mollerus *de Cornut. Cap.* 2. *p.* 14. *ſeqq.*

§. 21.

Utrum vero, ſecundum modo allegatum Nicolai Venette *dolor in coitu.* locum, ſemper adeo magnus vixque perferendus dolor in primo coitu obſervetur, adhuc quæritur. Sicut enim ille dolor juxta plurimos autores primario vel ab hymenis diſruptione, vel a naturali vaginæ uterinæ nimis anguſtæ violenta per catapultam virilem facta diffractione oritur, ita quoque exinde in prima hujusmodi ſinus virginalis apertura facillime gradualis dolor concedi poteſt; quapropter etiam talis dolor cum cruentatione ſive ſanguinis profuſione pro infallibili virginitatis ſigno haberi vulgo ſolet, de qua materia in Gynæcolog. *cap.* 4. *de virginit.* §. 42. prolixe egimus. Inquit etiam Isbrandus de Diemerbroc.

Ana-

Anatom. Lib. 1. *cap.* 26. *fol.* 148. quod vagina uteri in libidine dilatari debeat, & abſque illa dilaceratione penem virilem difficulter admittat, liquet ex iis mulieribus, quibus violentus aut involuntarius coitus ſine ulla libidine contingit, utpote quæ de magno dolore conqueruntur, propter vaginæ conniventia latera immiſſi penis vi a ſe invicem violenter divulſa. Sed illud ipſum adhuc magis innoteſcit ex immenſo dolore gravique incommodo, quod ex coitu ſine libidine nonnunquam juvenculas aliquas ſponſas, venerem nondum expertas, conquiſiviſſe obſervatum eſt. De dolore hoc ita ſcribit Severinus Pinæus *de Virgin. not. Lib.* 1. *cap.* 6. *pag.* 56. mulieres ex virginibus factæ quemlibet in poſterum admittere abſque dolore poſſunt, quem, antequam clauſtrum virginale disrumperetur, non niſi cum labore & dolore tolerabant. Certiſſimum enim eſt, omnes virgines, quamvis ætatem nubilem attigerint coitumque exoptaverint, primos congreſſus habere difficiles, & dolores pati, alias aliis majores, propter membranarum lacerationem atque ſinus & ejus orificii anguſtorum neceſſariam dilatationem, quæ fiunt in primis conflictibus venereis. Et ſecundum Johannis Benedicti Sinibaldi *Geneanthrop. Lib.* 4. *Tract.* 2. *cap.* 1. *pag.* 451. membrana, quæ alio nomine hymen, interſeptum virginale, clauſtrum virgineum & cuſtodia virginitatis nuncupatur, eſt, quæ primo veneris amplexu frangitur, quæque ob exilium venarum texturam ſanguinem fundit in iis copioſiorem, quibus venæ penes hanc membranam ſunt ampliores & pleniores; pauciorem in iis, in quibus exiles & exinanitæ ſunt venæ. Et ex hoc etiam patet, quæ ſit ratio, cur virgines primo concubitu dolorem experiantur, & viri laborent acrius; nam in ejus interſepti laceratione conari virum & dolere mulierem aliquatenus, neceſſe eſt; cum præſertim hæc ipſa membrana ob nervoſam quandam naturam exquiſito ſenſu polleat, eoque magis, quo ipſa eadem denſioris erit contexturæ, & matricis collum arctius, vel viri genitale informius. Semper autem in ætate grandioribus

bus fortior panniculus, quam in adoleſcentibus reperitur: quocirca apud illas, ut conatus eſt major, ita dolor intenſior. Juxta Thom. Bartholin. *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 31. *p.* 282. Utplurimum in primo coitu cum magno dolore ſanguis egreditur, paucior vel copioſior. Nam ob dilatationem anguſtioris colli & lacerationem hymenis, omnes virgines primo coitu dolorem & ſanguinis profluxum habent; juvenculæ quidem illum majorem, hunc minorem.

§. 22.

Dantur tamen caſus, in quibus virgines nonnullæ in prima defloratione parum vel nihil doloris ſentiunt nullamque cruentationem experiuntur, dum hæc virginum coarctatio ratione ætatis, ſtaturæ vel habitus corporis, conſtitutionis & ratione affluxus humorum differt; in junioribus enim & tenellis ſinus virgineus anguſtior eſt, quam in adultis; deinde aliæ virgines adhuc juvenes natura ampliores habent aperturas, quæ a graciliori mentula abſque dolore ac ſanguinis effuſione iniri poſſunt; quibusdam hymen deeſt, vel coarctatio naturalis a læſionibus & eroſionibus dilatatur; nonnullis etiam a largo humorum affluxu, v. g. in fluore albo, vel menſtruatione, partes genitales ita relaxantur, ut proxime poſt menſium fluxum ſæpe facillimam minimeque dolorificam patiantur viri admiſſionem, quam tamen poſtmodum quandoque difficiliorem experiuntur. Id quod varii teſtantur autores, ſiquidem ſi menſtrua fluunt, aut paulo ante fluxerunt, juxta Thom. Bartholin. *l. a.* ob partium relaxationem facile penis intromittitur, unde paucus aut nullus dolor, paucus etiam aut nullus ſanguinis obſervatur profluxus. Inquit etiam Severinus Pinæus *l. a. p.* 56. omnes virgines in primo coitu dolores pati, niſi menſtrua eo temporis momento fluant, duobusque tribus quatuorve diebus ante fluxerint. In his enim nulla eſt fere penis intromittendi viris, & admittendi virginibus difficultas, propter partium præhumidarum relaxationem atque lubricitatem, ita ut membranæ carnoſæ carunculis

non ſemper magnus.

 lis

lis interpoſitæ minimo cum negotio & nullo fere dolore dilatentur, cedantque ſubeunti mentulæ potius, quam lacerentur. Hæc ipſa verba etiam leguntur in Vopiſci Fort. Plempii *Fundam. Medicin. Lib.* 1. *Sect.* 5. *Cap.* 9. *fol. m.* 140. Et Regnerus de Graaf vaginæ orificii coarctationem in omnibus junioribus virginibus a ſe diſſectis ſatis clare conſpexit magis ac minus, prout magis ac minus nubiles exiſterent, quæ enim ſunt admodum maturæ, haud tantam habent, quantam tenellæ coarctationem: atq; propterea in primo coitu non tanto afficiuntur dolore, nec tam frequenter ſanguinem emittunt, quam juniores, in quibus coarctatio plerumque tanta exiſtit, ut, cum fortiori priapo dilatari ſatis nequeat, dilaceretur, in eaque vaſorum ſanguineorum contextus disrumpatur, quod ſemper, quotiescumque primus coitus cum dolore ſanguinolentus evadit, contingere judicat, *de Organ. mulier. p. m.* 191. *ſeq.* Ad quæſtionem, an omni feminæ maſculum prima vice admittenti cruor ex genitalibus manare debeat? negative reſpondet Philippus Verheyen *Anatom. Tr.* 2. *Cap.* 30. *p. m.* 211. quippe poteſt clauſtrum virginale ab humoribus acribus eſſe eroſum, aut ex ictu, caſu, uterive prolapſu disruptum. Poteſt quoque penis eſſe juſto exilior, & via ob magnam virginis ſtaturam, vel ætatem provectam, naturaliter lata: quod etiam contingere valet propter fluxum menſium immediate prægreſſum, per quem non tantum partes dilatantur, ſed etiam ratione laxitatis facile ulterius absque disruptione expanduntur. Interdum laſcivæ puellæ, juxta Isbrand. de Diemerbr. *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 26. *fol. m.* 149. *ſeq.* membranam, hymenem, inopinanter effringunt, dum venereis ſtimulis agitatæ digito, aliove immiſſo inſtrumento, coitum imitantur. Præterea nonnullis adeo tenuis & mollis eſt, ut in primo coitu facile dehiſcens, nec obſtaculo aliquo ſponſum offendat, nec etiam ſanguinem profundat. Adde quod etiam ab acrium humorum tranſitu corrodi, vel caſu, ictu, aut ab obſtetricis immiſſo digito disrumpi poſſit. Quod denique a menſtruorum aliorumve humorum affluxu

adeo laxari & emolliri queat, ut introeunti peni ſine dolore ac moleſtia facilem ingreſſum concedat & dilatetur. Scribit etiam Vopiſcus Fortunatus Plempius *l. a. f.* 139. eſſe obſtetrices aliquas, quæ manu obicem illum divellant in recens natis: & ſciſcitantibus, cur id faciant? reſpondeant, ne adultæ prima nocte nuptiarum ex coitu dolores percipiant, cum matrimonium debeat eſſe initium gaudii, non doloris &c. v. etiam Joh. Bohn. *Medicin. Forenſ. Specim.* 3. §. 10.

§. 23.

Ratione vero hujus doloris in coitu primo fieri ſæpiſſime ſolet, quod feminæ nonnullæ non unius, ſed plurium cum maribus congreſſuum ſibi conſciæ, quo juvenes amaſios vel etiam ſponſum decipiant, in primo, ſic dicto, coitu magnum quandoque dolorem cum ſuſpiriis ſimulent, interdum etiam per adſtringentia, conglutinantia, corroſiva, & alias artes, ut in tractatu noſtro de Sophiſticatione monſtrabimus, talem dolorem cum cruentatione arte ſophiſticatoria iterum excitent, ſicque novello marito illibatam libaſſe virginitatem glorientur. Quam fallax proinde ſit judicium, de virginitate a primo coitu matrimoniali & aliis ſignis deſumendum, in Parthenologia multis rationibus & autoritatibus docuimus. Quibus adhuc ex Joh. Bohnii *Tr. de Offic. Medic. duplic. Part. II. cap.* 6. *p.* 635. *ſeq.* ſequentia annectere libet. Non raro, inquit Bohnius, ſimulatam ſeu ementitam virginitatem a genuina ſeu illibata diſcernere poſtulamur, ſi nempe Glyzerium vitiata caſtitatem integram jactet, infamiam ac pœnam metuat, v. g. lucrum & reſtitutionem in integrum ex matrimonio anhelet, qualia exempla paſſim obvia ſunt: aut ſi juvencula divortium, ideo quod a marito cognoſci ſeu comprimi haud potuerit, qualem caſum Paulus Zacchias *Quæſt. med. leg. Deciſ.* 6. narrat: aut ſi ſtuprator ſtupri culpam declinare contendat, qualis cauſæ deciſionem quidam vicinii cujusdam oppidi incola a collegio noſtro anno 1683. petebat, inceſtus cum privigna accuſatus: quemadmodum pariter, ſi puella

dolor in coitu ſimulatus.

judicium de virginitate ex primo coitu fallax.

ſub conjugii aut dotis ſpe, vel ſimili dolo malitiave impulſa ſe a mare ſtupratam & violatam ajat: aut ſi denique juvenis virginem aliquam ſe defloraſſe malitioſe jactitet; quaſi diffamanti, ad depoſitionem obſtetricum de integritate puellæ, pœnam fuſtigationis Inclytum Scabinatum Lipſienſem aliquando decreviſſe, Dedekennus *Vol.III. Lib.*1. *Sect.*9. *n.*8. refert. Quod nihilominus juriſperitorum poſtulatum reprimere videntur ex horum Doctoribus diverſi haud infimæ notæ, v. g. Cujacius *Lib.* 17. *Obſ.* 20. ubi virginem dignoſcere rem admodum difficilem ac pene impoſſibilem aſſerit: & Sanchez 7. *de Matrimon. Diſp.* 113. *n.* 10. 11. *&c.* certa atque infallibilia virginitatis ſigna dari, prudenter negat. Præterea etſi temerarios ſatis quoſdam obſervemus medicos in virginitate adſtruenda ac diffitenda, ejusque characteribus determinandis, cum ipſa arte opprobrio ac riſui publico ſe exponentes, v g. dum pelliculam, hymenem dictam, oculis ſuis ſe uſurpaſſe, ſub juramenti fide deponunt; quod vitrico illi, de inceſtu ſuſpecto, ac judici perſuadere ſatagebat medicus poſtulatus. Sunt nihilominus nec illorum pauci, qui arduum hoc deponendi munus ingenue ac modeſte detrectant, nullumque ſignum proprium & univocum virginitatis dari, affirmant. v. g. Hor. Augenius *in Epiſt. ad Olivar. JCtum. Paræus de Renunciat.* Joh. Baptiſt. Sylvat. *de iis, qui morb. ſimulant cap.* 9. Riolan. 2. *Anthropogr. cap.* 34. F. Fidelis *de Relat. Med. l.* 3. *c.* 1. Jonbertus 5. *de Errorib, popular. c.* 4. Codronch. *Method. teſtific. cap.* 11. Ranchinus *de Morb. Virgin. Sect. I. c.* 4. 5. *&c.* Zacchias *Quæſt. M. L. lib.* 4. *tit.* 2. *quæſt.* 1. *& Conſil.* 34. *ac* 41. Guillemeau *abuſ. ſur le proced. de l'impuiſſ.* & Mauriceau *des malad. des femm. lib.* 1. *c.*6. aliique infiniti, inter quos non ſine ratione numero Pinæum *de Not. Virginit.* qui, etſi ſigna integræ ac ſolutæ zonæ virginalis innuere prolixius allaborarit, incerta tamen illa hinc inde pronunciat. Quorum veſtigia ego quoque legens defendere haud ambigo, artem medicam & per hanc factas genitalium muliebrium viſitationes atque contrectationes vix forſan adæquatum

exiſtere

exiſtere modum ad virginem a deflorata diſcernendam; prout quemlibet, negotium hoc penſitantem, ſana ratio docebit. Hæc Bohnius.

§. 24.

Ex partium autem muliebrium ab humorum ſeu fluoris albi & menſtrui ſanguinis affluxu dependente relaxatione & dilatatione admonent nonnulli medici, ne circa vel paulo poſt tempus menſtruationis nuptiæ inſtituantur, cum ex tali tunc temporis faciliori ſponſæ cohabitatione prima facillime ſponſus de prægreſſa ſponſæ defloratione ſuſpicionem capere queat. Hinc ſcribit Thomas Bartholinus *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 31. *p.* 282. ſi menſtrua fluunt aut paulo ante fluxerunt, tum temporis non inſtituendæ ſunt nuptiæ, ne virginitas ſponſæ ſuſpecta ſponſo reddatur; ſic juxta Vopiſc. Fortunat. Plemp. *Fundam. Medicin. fol.* 140. hic caveant mariti, ne nuptarum ſuarum alioqui caſtiſſimarum ſuſpectam habeant virginitatem. Advertant vero & etiam atque etiam videant matres aliæve mulieres, quæ puellarum curam habent, ut maritos de earum purgationibus moneant, ſi patiantur. Patiuntur enim vero eas ſæpius, dum nubunt virgines, præſertim maturæ viro, bene habitæ, & ſingulis menſibus expurgari ſolitæ; quia tunc lætantur plurimum, ambulant, ſaltant, & totum corpus magis, quam antea exercent animumque exhilarant, unde menſes accelerantur diutiusque perdurant. Binas hiſtorias huc quadrantes refert Severinus Pinæus *de Not. Virginit. cap.* 6. *p.* 57. *ſeq.* & quidem alteram de quodam nobili jurisperito, domiſellam, ſexdecim annos natam, virginem caſtiſſimam, in uxorem ducente, quæ nuptiarum tempore & die menſes patiebatur paſſaque fuerat tribus ante, ut poſtea duobus adhuc diebus continuis ei fluxerint. Is autem fluoris ignarus veſpere facto, quamprimum in thoro cum ea dormiturus decubuit, ſtatim ſuam ſponſam aggreſſus eſt, quam primo inſultu & vix ſalutato hymene compreſſit ſubiitque facile: hinc maritus triſtis effectus ſuſpectam uxoris alioquin pudicæ

Tempus nuptiarum.

habuit caſtitatem. Mane autem ſummo venit ſocrus genero dicens, ſe admodum ægre tuliſſe tota nocte, quod ſuperiori die non eum monuerit, ſuæ filiæ ante tres dies menſtrua abunde fluxiſſe fluereque adhuc. Quod cum ſit, dixit illa, abſtinere viros ab hujusmodi virginum & mulierum conſortio toto purgationis tempore, ut honeſtum, ſic iisdem uti ſordidum, atque legibus divinis, naturalibus & humanis vetitum atque prohibitum eſt. Propter multa, quæ inde ſequuntur, incommoda. Quare, mi fili, inquit illa, quum filia mea tua uxor, nondum munda ſit & plane purgata, ſi mihi credas, ſolus ad aliquot dies dormies, aut ſaltem ab ea abſtinebis. Quibus verbis libenter equidem annuebat recenter uxoratus, modo tamen de relinquenda uxore tacitus cogitabat, modo de lite movenda apud ſummos judices pro diſſolutione matrimonii, facilius ſua opinione & judicio conſummati; interea purgatio domiſellæ abſolvitur, elapſisque ſtatis diebus, jacuerunt una, ſed perperam prima ac altera nocte rem habere conati ſunt, unde utrique conjugi gravius quem antea malum accidit. Sed tertio die tandem voti compotes facti lætati ſunt. Altera hiſtoria eſt de mercatore, qui ſecunda vice matrimonium contraxerat cum virgine euſarca, duos & viginti annos nata. Hi cubuerunt ſimul fluentibus adhuc menſtruis purgationibus, rem ſemel habuerunt, ſed ita facile, liberaliter & opportune egerunt, ut ex virgine facta ſit mulier, quæ eodem temporis momento concepit gravidaque ipſa fuit. Poſtridie nuptiarum maritus mane ſummo ſurrexit atque rura ſatis longa petiit, in memoriam ſæpius revocans facilem, quem habuerat unicum cum uxore nova congreſſum. Reverſus vero demum poſt vigeſimum diem, ipſe & uxor dormierunt ſimul, ſed rem habere tentarunt fruſtra iſta prima vice, propter anguſtius multo redditum, quam antea ſinus pudoris orificium, poſt fluxionem menſtruorum & partium pudendarum exſiccationem &c. Fortaſſe etiam coitus primi tempore menſtruata fuit illa virgo ſeu ſponſa generoſi cujusdam ad Con-

teum

teum ſcribentis: Se rerum naturalium ſatis eſſe peritum ad rectum judicium ferendum & certum de virginitate illibata vel violata: quamobrem prætuliſſe ſe probam educationem, teneram ætatem ac pietatem conjugis ſuæ futuræ, plurimis aliis fortunæ bonis ſibi alibi obviis: Eo vero nomine ſe fuiſſe infelicem, quod mœrori locum concedere neceſſe habuerit ob ſuſpiciones fundamento non deſtitutas, vice oblectationis, animo præconceptæ, eo quod nuptiarum nocte eam partium genitalium laxitatem compererit, quæ opinionem amiſſæ virginitatis faceret; quamobrem ipſe poſtero die meditatus fuerit iter bimeſtre & longius, quo ſibi concederetur ſufficiens ſpatium, ut animo evolveret ſortem ſuam, antequam mentem aperiret. In reditu vero ex itinere abunde ſibi ſatisfactum, quod nemini non perſpecta foret uxoris vitæ integritas, quæ gravida facta eſt ipſo diſceſſus die; imo quod priorem conſtitutionem partium dictarum adeo immutatam nactus eſſet, ut biduum ipſi impendendum fuerit ad obicis infractionem. Conteus, qui eventum hunc ad examen deduxit, ait: I.) Potuiſſe fieri, ut prima coitio acerrima fuerit, adeo ut partium renitentiam percipere generoſo illi non licuerit. II.) Præ ſponſæ pudore forte abductos eſſe ſpiritus a partibus genitalibus, in quibus relicta ſit eadem debilitas, quæ in virilibus obſervatur, cum mares præ timiditate non arrigunt, etiam præſente objecto, quo potiri geſtiunt. III.) Forte menſtrua paulo ante effluxiſſe; vel humorem oleagineum, a prægreſſis blanditiis allectum, partibus dictis mollitiem & laxitatem induxiſſe ejusmodi, quæ facilem introitum conceſſerit in priori illo congreſſu. IV.) Graviditatem, conjunctam libidini in ſecundo congreſſu forſan eam ſoliditatem & craſſitiem conceſſiſſe caruncúlis, quam acquirere queant. vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. An.* 2 *Jul. Obſ.* 21. *p.* 157. Sequentes & ſimiles obſervationes recenſet Zacutus Luſitanus *de Prax. medic. admir. Lib.* 2. *Obſ.* 43. *Oper. fol.* 77. Quidam puellam octodecim annos natam in uxorem duxit, quæ nuptiarum tempore menſtrua patieba-

tiebatur. Vir fluoris hujus ignarus, præ cupiditate æſtuans, eam eſt aggreſſus, & vix ſalutato hymene compreſſit, ſubiit. Concepit illa. Subtriſtis ille ſuſpectam uxoris, alioqui pudicæ, habuit caſtitatem, eam deſeruit, in longinquas oras abiit, nec reverſus eſt ante nonum menſem, quo tempore, dolore partus miſerrime oppreſſa fœtum præ uteri anguſtia excernere non poterat: nam obſtetrices vias arctiſſimas, anguſtiſſimas & nimium ſiccas eſſe dicebant. Maritus nocte illa, commiſeratione aut forte œſtro libidinis percitus eam inire tentavit, ſed fruſtra, propter anguſtius multo redditum, quam antea ſinus pudoris orificium. Miratur valde, quod ante conceptum corruptam, & poſt conceptum virginem inveniret. Sed altera vice eam ſubiens, voti compos eſt factus, & illa, disruptis virginitatis clauſtris, poſt duos dies femellam peperit. Alia ſuit, quam, ob cauſam dictam, maritus deſeruit, ſed cum ob viarum anguſtiam in nono menſe parere non poſſet, vocatus chirurgus membranas & connatam carnem volſella apprehendebat atque incidebat; ipſa autem poſt duos dies, dilatatis viis, feliciter maſculum vivum edidit in lucem.

§. 25.

non tempore menſtrui.

Ob ejusmodi rationes non immerito ad quæſtionem: Quo tempore nuptiæ ſint inſtituendæ? Hermannus Fridericus Teichmeyerus *Inſtitut. Medic. Legal. cap.* 4. *Qu.* 8 *p.* 33. reſpondet, præterlapſis, poſt fluxum menſium, quatuordecim diebus. Cum enim, Bohnio inprimis & Bergero obſervantibus, certum ſit exploratumque, fluxum menſium primario fieri ex vagina uteri; inde per ſe patet, poſt fluxum ſtatim menſium vias paululum eſſe dilatatas, adeoque, ut omnis ſuſpicio declinetur, expectandum, donec ad priſtinam coarctationem partes revertantur. Et juxta Joh. Bickeri *Herm. rediviv. Sect. I. cap.* 14. *p. m.* 92. menſibus ſtato temporis intervallo procedentibus, ſi femina eam ætatem adepta ſit, ut jam virago evaſerit nuptiasque honeſtas celebraverit, non prius concumbat, quam ejusmodi evacuatio

cuatio finita ſit. Erumpente ſiquidem menſtruo vana conceptionis ſpe lactabitur, quoniam injectum ſemen non ſolum a natura, expulſionem meditante, in vulva retineri nequit, ſed etiam a confluentis ſanguinis copia eluetur.

§. 26.

an virgo coitum tempore menſtruationis admittens virgo maneat?

An vero virgines, quæ menſtruationis tempore vel primis poſt eandem diebus absque dolore & conceptione coitum illicitum admittunt, poſtmodumque ceſſante humorum affluxu iterum ita anguſtantur, ut nullum læſionis ſignum in earum partibus obſervetur, pro virginibus adhuc habendæ ſint? decidit Caſpar a Reies *Elyſ. Jucund. Quæſt. Camp. Qu.* 41. *n.* 9. *p.* 496. inquiens: Hujusmodi feminæ, quæ tempore fluxus menſium viros omnino admiſerunt, licet virginalem adſtrictionem, deſinentibus menſibus, iterum acquirant; virgines tamen minime dici poſſunt, quamvis difficulter poſtea a viris cognoſcantur; quæ enim vel ſemel virum admiſit, quomodocunque ſit, virginitatis nomen exuit, licet poſtea virginalem arctitudinem naturaliter aut arte acquirat, ſicuti poſt partum aliquibus evenit, quæ deſinentibus lochiis, naturaliter aut remediis adſtringentibus adhibitis, ſatis ſibi provident, ut non facile ſicuti antea comprimantur: nec tamen propterea virgines dicendæ, cum talis ſolum ea dici debeat, quæ virum nunquam experta eſt; alias omnes, quomodocunque poſtea accidat, jam corruptas debemus appellare, cum & in viduis, quæ longo poſt tempore ad ſecundas nuptias accedunt, eadem pudendarum partium clauſura aliquando inveniatur.

§. 27.

coitus tempore menſtruationis an noxius?

Utrum vero cum femina menſtruata absque noxa coitum exercere liceat? ſive an coitus cum feminis menſtruo fluxu laborantibus ſit noxius nec ne? hoc loco inquirendum eſſet, imprimis cum ex tali cohabitatione molas, monſtra, & hermaphroditos, item varios morbos venenatos & lepram oriri, veteres crediderint, de qua materia prolixe agit Levinus Lemnius

de Miracul. occult. Natur. Lib. 1. *cap.* 8. *p.* 33. *ſeqq.* & ex hoc Caſp. Bauhinus *de Hermaphrod. Lib.* 1. *cap.* 10. *p.* 101. *ſeq.* Quia vero recentiores phyſiologi ſanguinem menſtruum in corpore ſano non æque malignum atque venenoſum judicant, uti veteres; & rationes pro & contra in Emmenologia noſtra *Cap.* 11. *§.* 6. *&* 10. a nobis adductæ leguntur, benevolum lectorem brevitatis gratia ad eundem locum remittimus. De quæſtione, quare exitiale admodum ſit, cum menſtruata muliere genialiter congredi? vid. etiam Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib.* 9. *Tr.* 2. *cap.* 9. *p.* 766. *ſeqq.* De quæſtione, num uxor peccet mortaliter, quæ tempore menſtrui debitum reddit? vid. Petr. Müller. *Diſp. de Jure Prægnant. cap.* 6. *§.* 2. *p.* 59.

§. 28.

in primo coitu vagina perrupta, Quandoque etiam ſponſæ in primo coitu varia experiuntur accidentia; Juvenis enim quidam cum ſponſa juvencula prima nocte congreſſurus, valida veretri intruſione & violenta feſtinatione non modo uteri cervicem, ſed & ipſum inteſtinum rectum perrupit, juxta Franciſc. Plazzon. *de Partib. Generat. Lib.* 2. *cap.* 14. *p. m.* 164. cujus rei cauſam dictus autor non aliam eſſe judicat, quam quod vulva non aſſueta erigi ad novum opus languida flacceſceret, nec peni irruenti directam viam præbere noſſet. *hæmorrhagia lethalis.* Quandoque etiam in primo coitu largæ atque lethales hæmorrhagiæ oriuntur; uti meminit Isbrandus de Diemerbr. *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 26. *fol.* 148. ſe antehac in Batavia ſuperiore tenellam domicellam ſponſam noviſſe, cui a violenta penis in primo coitu immiſſione, & hinc vaginæ nimis repentina dilatatione, tam enormis hæmorrhagia contigit, ut intra tres horas una cum virginitate etiam vitam amiſerit. Similis dolendus caſus, pergit idem autor, ante aliquot annos etiam hic Ultrajecti contigit filiæ cujusdam civis, fabri lignarii, cui ſponſæ a primo cum ſponſo congreſſu tanta oborta eſt hæmorrhagia, ut ante matutinum tempus animam exſpiraverit.

§. 29. Ac-

§. 29.

Accidit etiam interdum, ut in primo coitu neogami ſibi invicem per tempus cohæreant, qualis cohæſio ſæpius in quibusdam brutis, imprimis in canibus, quotidie obſervari ſolet, atque primario ab oſſiculo in media canini parte ipſiusque penis intumeſcentia dependet. de qua vid. Spermatolog. noſtr. *Cap.* 5. §. 74. *p.* 314. Utrum vero omnia reliqua, pariter oſſeum penem, vel ſaltem os in eodem habentia animalia, v. g. lupus, vulpis, glis, mus indicus, phoca, rosmarus, civetta, caſtor, lutra, ictis, caniculus indicus ſive porcelletto d'India, & veſpertilio, vid. *ibid. Cap.* 3. §. 34. *pag.* 133. *ſeq.* item Chriſt. Warliz. *de Morb. biblic. cap.* 12. *p.* 384. *ſeq.* ſimilem in coitu patiantur cohæſionem, affirmare nolo; in canibus tamen quotidiana experientia, in aliis autem autoritas confirmat, quod phoca, ſive bos vel vitulus marinus, quibusdam etiam canis vel lupus marinus dicta, juxta Olai Wormii Muſeum *Lib.* 3. *cap.* 15. *fol.* 289. leporum & aliorum animantium retro mingentium ritu mingat, mas & femina averſi coeant, & in medio coitu inviti cohæreant. vid. etiam *Ariſtotel. Hiſtor. Animal. Lib.* 5. *cap.* 2. *fol.* 399. Penem plane oſſeum ideoque ſemper rigidum, a quo etiam uxori in copula maritali acerrimi ſuborti ſunt dolores, in bubulco Haſſo adnotavit parens Chriſtiani Franciſci Paullini, cujus vid. *Obſerv. med. phyſ. Cent.* 1. *Obſ.* 72. *pag.* 88. *& M. N. C. Dec.* 2. *An.* 5. *Append. p.* 71. Utrum vero tales conjuges ob oſſeum penem etiam in cohabitatione cohæſerint, non addidit autor. Interim tamen exemplum ejusmodi cohæſionis in coitu annotavit Petrus Borellus *Obſ. med. Cent.* 2. *Obſ.* 31. *p.* 133. de quodam ſibi noto, qui in coitu inſtar canum junctus remanſit. Id quod a nimio ardore partium genitalium tumefactarum proveniſſe exiſtimat dictus Borellus, vel quod e zibetho, quo ille amici cujusdam conſilio, voluptatis augendæ gratia, balanum, ſeu glandem penis, inunxerat, partes hæ calefactæ & irritatæ fuiſſent. Oportuit autem crebris clyſteribus partes illas emollire ſicque ſeparatus fuit.

Cohæſio in coitu.

Eundem effectum a zibetho obſervavit etiam Chriſtianus Johannes Langius *Prax. med. cap.* 23. *Oper. Tom.* 2. *fol.* 145. ſcilicet ex inunctione nimia zibethi glandis penis ſpasmodicam annotavit affectionem genitalium femineorum, ut hinc quidem mas & femina ſtimulum & jucunditatem perciperent, nihilominus poſtmodum ita cohærerent, ut vix vi divelli poſſent. Similem hiſtoriam ratione zibethi & cohæſionis de cive Jenenſi ſibi retuliſſe Godofredum Hoffmannum ſcribit Chriſtianus Franciſcus Paullini *Cynograph. Curioſ. Sect. I. cap.* 3. §. 46. *p.* 54. quo loco etiam obſervationem annectit de ſponſo, qui tale quid prima nocte paſſus, id poſtmodum archiatro Gothano, Danieli Ludovici, faſſus eſt, non glandem ſolum, ſed & anticam penis partem arctiſſime fuiſſe ſtrictam. De Rugianis in coitu cohærentibus vid. Spermatolog. noſtr. *Cap.* 5. §. 74. *p.* 315. item Joh. Georg. Simon. *de impotent. conjugal. Cap.* 6. *Theſ.* 4. *n.* 24. *p. m.* 124. Meminit etiam Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 26. *fol. m.* 147. Leydæ ſponſum quendam fuiſſe, de quo illo tempore, quo Diemerbroc ibidem ſtudiis incumberet, dicebatur, quod cum ſponſa ſua laſciviens adeo ejus pudendo intricatus remanſiſſet, ut penem extrahere non poſſet: quem nexum advocatus medicus affuſione aquæ frigidæ protinus diſſolverat. *Obſervatio.* Similis quoque rumor ante quadraginta aliquot annos totam Lipſiam, ubi tunc temporis ſtudiis incumbebam, his circumſtantiis percurrebat, & quidem de mercatore non ignobili, qui prima nuptiarum nocte dilectæ ſuæ ſponſæ haſtam nuptialem adeo intruſerat, ut nullo modo illam retrahere valeret; quapropter nova uxor famulam ſuam vocat, ut extemplo medicum accerſeret. Ipſa vero famula aſtuta vel experta, fortaſſe ex utriusque conjugis ſitu morbum judicans, vel ex ſponſæ relatione intelligens, dominæ ſuæ medico non opus eſſe, ſed ſe ipſam ſtatim illi opem laturam eſſe, regerit, ſimulque ſitulam aqua frigida plenam neonymphi natibus affundit, quo facto ſtatim hæc cohæſio ſeparata fuit.

§. 30.

§. 30.

Cauſam hujus cohæſionis nonnulli autores peni nimis longo atque orificii interni ipſius uteri aperturæ adſcribunt, v. g. Johannes Riolanus *Anthropograph. Lib.* 2. *cap.* 35. *fol. m.* 196. inquit: Fieri poteſt, ut longior penis, dum orificium veræ cervicis uteri apertum eſt fluentibus menſtruis, in id oſculum introductus & apprehenſus aliquantulum retineatur & conſtringatur, ut in canibus ſimul junctis & cohærentibus accidit: quod quibusdam eveniſſe certa fide mihi teſtatum. Eandem ſententiam fovet etiam Vopiſcus Fortunatus Plempius *Fundam. Medicin. Lib.* 2. *cap.* 9. *fol.* 138. inquiens: Os internum uteri eſt foramen inter cervicem & fundum uteri ſitum: nam in uterum non eſt tam patulus ingreſſus, ſicut in cervicem; ſed ad cervicis finem intus corpus quoddam occurrit, referens glandem obtuſam perforatam transverſa linea; quod tamen foramen, ſi plane diducatur, rotundum fit. Hoc os tempore conceptionis valde conſtringitur: tempore coitus dilatatur, penemque, ſi is longus ſatis ſit, amplectitur ſuo morſu &c. Et Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 26. *fol.* 147. inquit: Certe mirum eſt, quomodo hoc anguſtum uteri orificium adeo dilatari posſit, ut glandem penis recipere queat, ac proinde illud nonnullis prorſus impoſſibile videtur, & quæ hac de re dicuntur, illa pro fabulis habent. Sed dicendum, in magna fervente libidine omnes illas obſcœnas partes admodum incaleſcere & laxari, ut patet in vagina uterina, quæ extra libidinem adeo ſtricta eſt, ut penem virilem cum moleſtia recipiat: cum vero in libidine per majorem affluxum ſanguinis & ſpirituum erigitur, incaleſcit & intumeſcit, tunc adeo laxa & mollis evadit, ut facillime penem admittat. Non tam mirum igitur erit, ſi in nonnullis per ſummam libidinem adeo laxetur hæc uteri orificium, ut penem admittat, præcipue ſi vagina brevior, & penis tam longus fuerit, ut illam Sybillinam rimam attingere & ingredi poſſit. Neque hoc magis mirandum, quam quod illud ipſum orificium

Cohæſionis cauſa.

tempore partus ſponte adeo laxetur, ut magnus fœtus tranſire, vel chirurgi manus, cum parte brachii (cum ſcilicet fœtus arte aut inſtrumento extrahendus) facillimo negotio intromitti poſſit. Dubitat tamen Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. cap.* 8. *p.* 235. an fieri poſſit, quod refert Riolanus *Anthropogr. l.* 2. *c.* 35. ut longior penis, dum orificium cervicis uteri apertum eſt fluentibus menſtruis, in id oſculum introducatur & introductus ibi detineatur, ut in canibus fieri aſſolet: licet Hippocrates *Lib.* 1. *de Morbis mulierum* ſcribat: mulieres, quibus os uteri nimio coitu laxatum, cum plus æquo apertum ſit, non concipere: nam licet menſtruorum fluxu aliqualiter relaxatum foret; voluptate & inde facta conſtrictione, ita coarctatur, ut penis oſculum illud neutiquam ſubire poſſit; ſi vero minus in coitu delectetur mulier, vaginæ laxitas priapo facile cedet; ſecundo, ſi membrum virile illud uteri oſculum tam facile ſubintraret; quot non abortus excitarentur, ab iis, qui poſtremis geſtationis menſibus cum uxoribus ſuis coeunt.

§. 31.

Autoris ſententia. Ut autem de maris & feminæ in primo coitu quandoque obſervata cohæſione mentem meam explicem, Riolani atque Plempii adducta ſententia, quod ſcilicet longioris mentulæ glans in coitu per internum uteri orificium in ipſius cavitatem ingrediatur, ideo mihi dubia videtur, quia illud orificium ante primum coitum fœcundum & partum nimis anguſtum eſt fereque occluſum, atque in tantillo temporis ſpatio, quo actus venereus abſolvitur, vix ita dehiſcit, ut penis glandem, ex orgasmo libidinoſo ſatis tumidum, transmittere poſſit; quatenus hoc orificium admodum denſum eſt, ut non adeo facile & brevi tempore tantopere aperiri queat. Et licet ambabus largiamur, quod ejusdem hiatus in partu adeo expandatur, ut fœtui liberum tranſitum concedat; fit tamen hæc apertura non in momento, nec absque labore, ſed ante partus tempus orificium per humorum affluxum magis magisque irrigatur & humectatur, & denique

que ab infantis pondere atque conatibus indies ad majorem hiatum ſtimulatur; in coitu econtra major apertura neceſſaria non eſt; quamvis enim non modo veteres pro injectione virilis ſeminis in uterum atque pro commiſcela utriusque ſeminis in ejusdem cavitate ad formandum exinde fœtum, ſed etiam plerique recentiorum pro ovulorum in ovariis muliebribus detentorum fœcundatione, magnum orificii hiatum requirant; ſicuti Petrus Dionis *Anatom. Demonſtrat.* 4. *Sect.* 2. *pag.* 243. ad ſemen momento ejaculationis excipiendum, internum orificium dehiſcere, & poſtquam hoc excepit, arctiſſime deinde iterum occludi ſcribit; alii tamen non ſemper per hoc orificium viri ſemen materialiter in uteri cavitatem injici, neque juxta veterum opinionem, ex commixtione virilis ac muliebris ſeminis in utero, ſed ex & in ovulo ovarii muliebris, per auram viri ſeminalem ſive vim ſeminis plaſticam, in fœcundo coitu, per varias vias imprægnato, conceptionem, (de qua alibi pluribus) fieri defendunt. Imo matricem in cohabitatione ſe non aperire, ſed absque orificii interni apertura ovulum fœcundari poſſe, ſtatuit Gallus quidam, nomine Gofey, quod beneficio tactus innoteſceret. Statim enim poſt materiæ ſeminalis emiſſionem, ſi intromittatur digitus, orificium uteri internum, firmiter clauſum deprehenderetur, adeo ut illud nunquam fuiſſe apertum haud immerito videatur. vid. Daniel. Hoffmann. *Annotat. med. in Hypoth. Goveyan. de Generat. Fœt. p.* 64. Deinde ratione cavitatis uteri, quam in cohæſione membri virilis glans ingredi ſcribitur, ex anatomicis liquet, eam in illibatis virginibus, & quæ nunquam in utero geſſerunt, vix tantæ capacitatis eſſe, ut amygdalam admittat, ſed ſolummodo demum poſt conceptionem ſucceſſive nimium quantum expandi, ut ita penis glans in primo congreſſu vix ſufficientem locum in eadem cavitate reperiat. Quod etiam Johannes Riolanus *l. a.* ſcribit fieri poſſe, ut longior penis, dum orificium veræ cervicis uteri apertum eſt, fluentibus menſtruis, in id oſculum introductus & apprehenſus

ali-

aliquantulum retineatur & conſtringatur, ut in canibus ſimul junctis & cohærentibus accidat; mea ſententia nondum probat, in virginibus & nondum gravidis, multo minus puerperis, tempore fluxus menſtrui internum uteri orificium adeo diſtendi, cum plerique recentiorum in virginibus ac non gravidis menſes non per uteri fundum, ſed per ejusdem vaginam ſive ex vaſis vaginalibus tantum ſemper deponi defendant, de qua materia vid. Muliebr. Emmenolog. *Cap.* 2. §. 5. Quodſi proinde in virginibus, in primo coitu, etiam tempore menſtruationis, defloratis, nihil vel parum ſanguinis menſtrui ex uteri cavitate profluat, aliqualis equidem, non autem tanta orificii apertura, per quam penis glans intrare poſſet, concedenda eſſet, quamvis etiam omnis cruentatio menſtrua ex ipſo utero proveniret; Inſuper etiam a ſponſarum matribus vel aliis feminis agnatis primus nuptiarum coitus rariſſime tempore menſtruationis inſtitui ſolet, quia tunc temporis ſponſarum partes genitales aliquatenus relaxantur, hocque modo ingreſſus eo facilius celebratur, ipſæ autem ſponſæ ſæpiſſime deflorationis ſuſpicionem incurrunt; licet etiam in ejusmodi primo, fluentibus menſtruis, exercito coitu ſupra ex Pinæo & Zacuto adduximus, nulla cohæſionis mentio fiat. Magna quoque inter canum & hominum cohæſionem datur differentia, quarum illa a pene oſſeo humorumque circa eundem ſtagnatione dependet, atque in quolibet coitu canino, in homine vero rariſſime & quidem in primo tantum nuptiarum coitu obſervatur. Neque etiam Isbrandi de Diemerbroc allegata ſententia, qua orificii dicti aperturam ipſiusque vaginæ uterinæ laxitatem a fervente in coitu libidine derivat, aliis autoribus ſatisfacit, ſiquidem juxta Regnerum de Graaf *l. a.* os uteri, licet menſtruorum fluxu aliqualiter relaxatum foret, voluptate tamen & inde facta conſtrictione ita coarctatur, ut penis oſculum illud neutiquam ſubire poſſit; ſi vero minus in coitu delectetur mulier, vaginæ laxitas priapo facile cedat. Quæ Grafii ſententia veritati magis conſona videtur,

tur, ſiquidem in utroque ſexu, orgasmi venerei tempore, partium genitalium fibræ per largiorem ſpirituum influxum admodum corroborantur, atque a copioſiore humorum affluxu partes antea flaccidæ eriguntur & intumeſcunt, ut ad pugnam veneream præſto ſint. Quodſi proinde vir onobolus, ſeu nimis mentulatus, cum illibata virgine tenera nimisque arcta primum congreſſum matrimonialem celebret, tunc ſane uteri, vel uti quibusdam dicitur, penis vagina, quamvis etiam ſub coitus principio, poſt diffractum virginitatis clauſtrum, penem facile admittat, durante coitu ob magnam ab humoribus, per orgaſmum venereum & fricationem affluentibus, infarctarum nimisque intumeſcentium glandularum copiam atque membranarum conſtrictionem membro virili nimis tumefacto adeo arcte ſeſe applicare poterit, ut ejecto etiam ſemine virili, vel forſan etiam impedita ejusdem excretione, ſpasmodica quadam ſeu contractoria partium ſponſæ genitalium affectione novi conjuges cohæreſcant, donec vel emiſſo quoque ſemine ſic dicto muliebri, vel potius liquore proſtatarum, in coitu libidinoſo utplurimum a feminis excerni ſolito, ſicque ſedato orgasmo, ſuccedente vaginæ uterinæ flacciditate, conjuges a ſe invicem ſeparentur, vel conſilio medici vel aqua frigida a cohæſione liberentur. Denique etiam talis in coitu cohæſio accidere poſſe videtur, ſi in ſponſa virgine circa carunculas myrtiformes vel in medio vaginæ uteri membrana illa, interdum ſatis craſſa, (quam plerique autores, ſub nomine hymenis, in omnibus illibatis virginibus adeſſe, atque in primo coitu disrumpi defendunt, alii vero quandoque tantum & præternaturaliter in occluſis vel atretis reperiri concedunt,) ita largiter perforata, vel etiam, fortaſſe poſt menſtruationis tempus, a ſanguine vel aliorum humorum affluxu adeo laxata ſeu dilatata fuerit, ut mariti, bene mentulati, penis poſt aliqualem niſum in primo impetu per illud foramen equidem ingredi, poſtmodum autem, vel ob membranæ, quæ nonnunquam membrano-carnoſa eſſe obſervatur, a

P copio-

copioſiori ſpirituum in congreſſu venereo affluxu ortam conſtrictionem & coarctationem, vel etiam ob glandis virilis majorem & ab orgasmo auctam intumeſcentiam regredi nequeat, quatenus tota penis glans tam diu a dicta membrana adeo arcte includitur & detinetur, ut non niſi poſtquam æſtus ille venereus, diſſipatis ſpiritibus, penitus tranſierit vel evanuerit, membrumque virile a ſua rigiditate remiſerit.

§. 32.

Coitus eſt vel moderatus vel immoderatus.

Coitus autem viri cum femina, ad conceptionem & generationem neceſſarius, a nonnullis utriusque ſexus perſonis ſatis moderate atque cum fructu, ab aliis immoderate atque cum noxa, ſeu variis, quandoque etiam lethalibus, ſymptomatibus exercetur, qualia exempla in Spermatolog. noſtr. *Cap.* 5. §. 25. *p.* 258. *&* §. 44. *p.* 274. recenſuimus. Quapropter non immerito moderatus coitus a medicis ſuadetur, & quidem tam præſervative, quam curative; ſiquidem Jaſon a Pratis *de Sterilitat. arcend. p.m.*73. inquit: Viri religionis obſervantia clari mulierculas dedolant, nullum in hoc corporis aut animi delinimentum ſequuti, ſed ne concidant in ægrotationem. Impudentiora ſunt hæc, quam quæ referri debeant, & vaniora, quam quæ fidem mereantur. Certum eſt, concubitum ad ſanitatem facere permultum, qui ex intervallo & rarior adhibetur. Et Paulus Ægineta ait: Neque venus utilitate caret, utpote quæ plenitudinem vacuat, corpus auctum, leve, virile, reddit: Et quod ad animum pertinet, rationis vim impeditam ſolvit, ingentes iras remittit, idcirco melancholico aptiſſimum remedium eſt, ſi quicquam aliud, reducit autem ad modeſtiam vel quovis modo inſanientes: Juxta Chriſt. Warliz. *de Morb. biblic. Cap.* 12. *p.* 361. nullum e naturalibus operibus nocivum eſt, ajebat Averroes, igitur & venus temperata multarum utilitatum conſors eſt. Natura ſagax omnia in ſalutem dirigit, quare oblectamentum venereum mortalibus ad humanæ vitæ miſerias voluptatis illius blandimentis leniendas demulcendasque. Corpus enim & animum

rum mirifice recreat, motum ſpirituum alacriorem reddit, languoremque ac triſtitiam pellit. Item Diogenes Cynicus in ea fuit ſententia, ut crederet, modeſtis hominibus venere utendum eſſe, non ob copulatam illi voluptatem, ſed ut noxam vitarent, quæ a retento diutius in corpore ſemine naſci ſolet. Et juxta verba Roderici a Caſtr. *de Natur. Mulier. Lib.* 3. *cap.* 4. *p.* 112. moderata venus plurimas ſecum affert commoditates, quia corpus recrementis plenum inanit, excitat & auget ſeminis inſtrumenta, indurata mollit, meatus dilatat, pituitam expurgat, impeditam mentis vim explicat, iras remittit, unde melancholicis, mœſtis furioſisque convenit, interdum comitiali morbo laborantes ſanat, capitis gravitatem & dolorem emendat, emaciatos recreat, ægre ſpirantibus opitulatur, & cibi cupiditatem amiſſam reſtituit, ac nocturnas pollutiones depellit; præſertim autem pituitoſis morbis ſuccurrit, itaque ut læditur natura nimio alimento & nimis modico, mediocri ſervatur, ut etiam offenditur nimio & nimis modico, mediocri recreatur, ſic nimia venus nocet homini, moderata conducit &c. vid. etiam Caſp. a Reies *Quæſt.* 46. *n.* 20. *p.* 571.

§. 33.

Curative etiam moderatum coitum in variis affectibus proficuum, & quidem tam in maribus quam feminis medici annotarunt; e. g. dyſenteriam in viro a coitu ſolutam annotavit Amatus Lnſitanus *Curat. Medicin. Cent. II. Curat.* 47. *fol. m.* 177. Melancholiam annatam, ſive mentis imbecillitatem, creſcentibus annis in maniam, tandemque furorem, degenerantem in nobili quodam annotavit Caſpar Theophilus Bierlingius *vid. M. N. C. Dec. I. An.* 2. *Obſ.* 151. *p.* 234 qui tamen nobilis poſt contractum matrimonium aliquot hæredibus fœcundum ab hoc affectu liberabatur. Juvenis etiam ludo venereo a melancholia convaluit, procul dubio, quia ab ejus deſiderio malum hoc contraxerat, uti ex Aretio refert Chriſtianus Warlizius *de Morb. bibl. cap.* 12. *p.* 364. Nobili cuidam ex familiari cum amata mu-

moderatus proficuus in dyſenteria,

in melancholia,

in tumore teſticuli,

muliere, citra tamen concubitum, converſatione dexter teſticulus adeo intumuerat, ut præ dolore fere incedere nequiret. Cui vero ſuaſerat medicus, ut, cum uxorem domi haberet, citra magnam commotionem coeat, quo ſemen ſub converſatione illa in teſticulo congregatum excerneretur; a quo coitu citra aliud remedium convaluit, referente Marco Gerbezio *Chronol. med. pract. An.* 1. §. 96. *p. m.* 83. Alius nobilis primis adoleſcentiæ annis admodum vehementer dentium doloribus torquebatur, contra quos nulla remedia ſufficiebant, donec tandem conjugio inito venere licita pluries uteretur; hinc enim dentium dolores ceſſabant, juxta Vit. Riedlin. *Linear. med. An.* 1699. *Febr. Obſ.* 14. *p.* 152. *ſeqq.* Aliud pertinacis odontalgiæ venere cum lectiſſima conjuge edomitum exemplum anno 1697. annotavit Johannes Ægidius Euth, *vid. M. N. C. Dec. III. An.* 5. *&* 6. *Obſ.* 76. *p.* 146. *ſeq.* A Danis etiam fide dignis accepit Henricus Petræus veneris exercitio ſcorbutum curari, uti *Noſolog. Harmon. Tom. II. Diſſert.* 38. §. 21. *p.* 288. refert. Porro in pollutione nocturna, a ſeminis abundantia & gonorrhœa, ſeu involuntaria ſeminis excretione, coitus legitimus ſuadetur; quamvis etiam nonnulli gonorrhœa virulenta vel ipſa lue venerea affecti per coitum illicitum cum virginibus puris vel etiam puellis impuberibus ab hoc malo liberari poſſe ſint perſuaſi, hocque modo innocentes puellas inficiant. vid. Spermatolog. noſtr. *Cap.* 5. §. 61. *p.* 288. De quartana in juvene venere ſeu coitu curata, vid. Joſeph. Lanzonus *M. N. C. Dec. II. An.* 10. *Obſ.* 128. *p.* 221.

in odontalgia, *in ſcorbuto,*

§. 34.

in nimio menſium fluxu,

Sic etiam in ſequiori ſexu moderatus coitus nonnunquam utilis obſervatur, v. g. in nimio menſium fluxu, quo, obſervante Johanne Valentino Willio, illuſtriſſima quædam heroina, triginta annorum bilioſiſſima, multos jam annos adeo laborarat, ut toto corpore palleret, atque præ debilitate vix lumbos traheret. Hujus perpetuo ſtillantis ſanguinis ſcaturigo nullo alio remedio, quam συνεσία matrimoniali obturari potuit, ſiquidem cum

marito

marito fœcunda & tredecim liberorum, & inter hos gemellorum plerorumque pancratice degentium mater facta eſt. Fœcundum autem ea certo novit coitum, cum ſtatim prima aut ſecunda ab eo die ſtillicidium cruoris ceſſaret. vid. Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. III. Obſ.* 279. *p.* 141.

§. 35.

Fluorem album mulierum, qui nonnunquam optimorum etiam medicamentorum efficaciam eludit, non niſi gratiſſimis veneris amplexibus domari ſe pati, ſcribit Johannes Bernhardus Gladbach *Prax. Medicin. pag. m.* 370. quo loco etiam operationis modum explicat. In chloroſi ſeu cachexia virginea coitus licitus a medicis ſuadetur; ſiquidem Georgius Wolffgangus Wedelius *Diſput. de vener. medic. & morbif. Cap.* 2. *p.* 23. non ultimum, quibus venus medetur, affectum eſſe chloroſin ſeu febrem & icteritiam albam virginum dictam, taliterque affectas venerem licito modo initam optime curare ſcribit. Excreto enim liquore genitali ſuppreſſo, & a ſpiritu genitali virili per venerem mulierum genitalibus novo quaſi fermento inſpirato, denuo ſpirituaſcere & impetuoſius fermentare incipit maſſa ſanguinea, & ſpiritus vegetiores ac majori vi elaſtica impraegnanti omnes corporis partes de novo velut animant & colore vivido exornant; hinc eſt, quod aliquando fœdæ prius virgines per conjugium elegantes & majori venuſtate affluentes fiant. Secundum Chriſtian. Warliz. *de Morb. biblic. Cap.* 12. *p.* 364. *ſeq.* notum eſt virgines cachecticas, valetudinarias, ſuppreſſione menſium & chloroſi laborantes, quæque minus commoda valetudine diu uſæ erant, poſtquam viris junctæ eſſent, melius habuiſſe, licet non ſtatim conceperint, ſi vero conceperint, magis ſanas evaſiſſe. Sic Godofredus Heldius *Ephem. Natur. Curioſ. Cent. VI. Obſ.* 88. in qua de marte virginum chloroticarum ſolatio agit, *pag.* 372. inquit: in curatione hujus mali conjugium quidem eſſet optimum, unde pallidæ ejusmodi virgines & fœdis coloribus deformes, utplurimum pulchriores reddun-

in fluore albo,

in chloroſi,

tur, roſeo nativo colore in facie emicante, ut hinc apud Germanos verum habeatur dicterium: *Garſtige Jungfern, ſchöne Weiber.* Aſt cum omnibus virginibus non liceat eſſe tam felicibus, ut conjugium inire poſſint, eo denegato, obſtructiones vaſorum cura martis ſunt reſerandæ &c. vid. etiam Spermatolog. noſtr. *Cap. 5. §. 59. p. 285. ſeqq.*

§. 36.

in paſſione hyſterica &c.

Porro in paſſione hyſterica, epilepſia, delirio, mania, furore uterino, & ejus affectibus ſpasmodicis, a menſium ſuppreſſione ortis, coitum cum euphoria exercitum & commendatum legimus. Ad ejusmodi autem mali liberationem, ſecundum Hippocrat. *de Virgin. Affection. Sect. V. fol. m. 125. ſeq.* curatio eſt, ſanguinis detractio, ſi nihil ejusdem ſanguinis effluxum impediat. Ipſe autem Hippocrates virginibus, quibus tale quid accidit, ſuadet, ut citiſſime cum viris conjungantur? Si enim conceperint, ſanæ evadunt. Quod niſi fiat, una cum pubertate, aut non ita multo poſt his tentabuntur, niſi viro jungantur. Ex mulieribus vero, quæ viris junctæ ſunt, ſterilibus iſta magis contingunt. Hoc ſaluberrimo divini Hippocratis conſilio ſi medicamenta menſes provocantia, & obſtructionum aperitiva, ſanguinis groſſi ſubtiliativa adjunxeris, nihil his præſentius reperire & excogitare poteris: quibus ego in virginei morbi cura nunquam falſus aut ſpe ſui fruſtatus, ſcribit Johannes Langius *Epiſtol. medicin. Lib. 1. Epiſt. 21. p. 93.* Juxta Chriſt. Warliz. *de Morb. biblic. Cap. 12. p. 362.* a retento diutius in corpore ſemine noxa naſci ſolet, v. g. torpor corporis & paſſio hyſterica. Corpus enim valde premit ac onerat, aceſcit, corrumpitur, acrimoniam concipit & maſſæ ſanguineæ labem affricat. Degenerat quoque & putreſcit, unde febres, inflammationes, deliria triſtia & furioſa, aliaque mala oriuntur. Sic ſeminalis materia intra teſtes muliebres ſeu ova, juxta neotericos, concluſa, & ex nimia mora maligna facta turbas ſæpe hyſtericas ciere creditur, quod αὐτοψία edoctus notavit Andreas Veſalius *de Corpor. hum. Fabric.*

ſive

ſive Anatom. Lib. 5. *cap.* 15. *fol. m.* 412. inquiens, ſe in duabus non vulgariter nobilibus puellis, quæ ante mortem uteri ſtrangulatura vexabantur, quibus alterius teſtis ſinuum unus duntaxat inſtar majuſculæ pilæ protuberabat, ovum croceo & graviſſime olente humore infartum reperiſſe. Puellam novendecim annorum ad quatuor fere menſes delirantem miles occaſione arrepta compreſſit, ſicque eandem integre reſtituit, juxta Chriſt. Franc. Paullin. *Obſ. med. phyſ. Cent. III. Obſ.* 88. *pag.* 386. Patavii mulier maniaca per plateas ambulans de rebus venereis ſemper loquebatur, interdum etiam obvios baculo aggrediebatur. Tandem vero cum in noſocomio S. Franciſci detineretur, ab ejus loci miniſtris ſæpius compreſſa convaluit, quia a ſeminali humiditate diutius retenta & putrida elevatis vaporibus mania hæc orta fuerat. vid. Thom. Bartholin. *Hiſtor. anatom. Cent.* 2. *Hiſt.* 69. *p.* 258. *ſeq.* De epilepſia diuturna virginis poſt congreſſum cum viro ſublata, ſed eo denegato poſtea in furorem uterinum mutata, ſequentem obſervationem recenſet Ambroſius Stegmannus *M. N. C. Dec.* 3. *An.* 1. *Obſ.* 12. *p.* 29. Virgo quædam Wettinenſis, nomine Magdalena Matzin per decem annos præterpropter epileptica, in cæteris autem optime ſana & mentis ſuæ compos. Huic ab empirico quodam ſuadetur, ut veneris exercitio, tanquam certiſſimo epilepſiæ remedio, uteretur, quod etiam dicto citius cum milite quodam intendit. Revocato autem milite ad caſtra melancholiæ totam ſe dedit, & diverſis vicibus ratione omni deſtituta, nuda quæſivit ſuum amaſium in hoſpitio, usque dum delira periret. Idem Stegmannus etiam ibidem *Obſervatione* 13. *p.* 29. 31. virginis duodecim annorum, furore aliquali uterino, convulſionibus aliisque ſymptomatibus laborantis, (poſt venæſectionem & alia medicamenta frigida, ſaturnina & antaphrodiſiaca) parentibus ſuaſit, ut filiæ ſuæ de marito proſpicerent, ne ob nimiam ſanguinis turgeſcentiam & acrimoniam major morbus metuendus foret, vel occaſione data illegitime cum aliquo congrederetur. Plura ejusmodi coitus

contra

contra ſalacitatem & furorem uterinum exerciti exempla jam ſupra *Sect. I.* §. 29. de ſalacitatis curatione recenſuimus. Virgo quædam in flore ætatis uterina ſentiebat ſymptomata, quæ indies incrementa ſumebant: nunc dolebat caput, nunc abdominis ſentiebat diſtenſionem & dolorem ſummum, nunc immobile & rigidum totum reddebatur corpus, catalepſin patiens, mox univerſalem, mox partium certarum, manus, brachium, pedes frangi citius propter rigiditatem quam moveri poterant: Convulſiones patiebatur & concuſſiones interdum corporis totius, nonnunquam partium tantum aliquot, aſpectu horrendas; quatiebat membra nunc huc, nunc illuc, &, quod viſu maxime horrendum, elevabat abdomen, inflectendo dorſi ſpinam, ut caput pene pedes tangeret. Ridebat cum cachinnis, cantabat lugubres cantiones integras, nec ulla in re hallucinabatur; tale & tale ſibi emetiendum adhuc eſſe iter dolebat; per ſemitam ſupra aquas ambulandum, ſpinoſum ſibi eſſe adſcendendum montem. Poſt varia fruſtra adhibita medicamenta & venæſectionem centies ſeptuagies ſexies repetitam, ſingulis vicibus ad minimum ſeptem unciis ſanguinis extractis, tandem omnibus remediis parum efficientibus medicus conjugium ſuaſit; quod poſtquam cum juvene quodam contraxiſſet, libera ab omnibus, quibus hactenus divexata fuerat miſera miſere malis, ſana poſtmodum vixit & incolumis, juxta obſervationem Johannis Schmidii *in M. N. C. Dec. II. Obſ.* 42. *p.* 113. *ſeq.* De muliere ex diuturno mariti morbo propter ſeminis retentionem in furorem uterinum incidente & canum congreſſum appetente vid. Felic. Plater. *Prax. medic. Tom. I. cap.* 3. *pag.* 101. Meminit etiam Alexander Benedictus *de Re medic. Lib.* 1. *cap.* 28. *fol.* 23. mulieris cujusdam, nudæ in quadam Italiæ civitate per plateas peragrantis, quæ cum in officinam quandam meritoriam incidiſſet, nocte tota a quindecim viris venere defatigata diluculo menti reſtituta diſceſſit. Virguncula quædam, colore nigella, ad venerem maxime proclivis atque virorum amplexus exardeſcens,

cum

cum a variis ſymptomatibus nullis remediis levari poſſet, parentes eam viro locarunt, ſicque validus & nervoſus coitus, cum juvene robuſto, atque officio connubiali ſtrenue perfungente, hunc furorem ſedavit, referente Zacuto Luſitano *de Prax. medic. admirab. Lib. 2. Obſ. 93. fol. m. 64. ſeq.*

§. 37.

Coitus immoderatus. Sicuti autem moderatus, tempeſtivus atque frugalis veneris uſus ſecundum hactenus dicta in utroque ſexu pro medicina adhibetur, ita econtra importunus coitus ſecundum Chriſtian. Warliz. *de Morb. biblic. Cap. 12. p. 367.* mortales in vitium & exitium dat præcipites; eſt enim omnium pathematum, quæ corpus, animæ domicilium, alterare & infeſtare ſolent, graviſſimum. Exceſſus quippe veneris magnus præ omnibus aliis paſſionibus animum infringit. Et *pag. 369.* inquit idem autor, quod enormis venus & medulliſorba mater morborum feraciſſima, ſuccum nutritium, qui vim ac robur partibus præbet, & vitale robur exhauriendo, exſiccando, elumbe reddendo ac deſtruendo. De multiplici veneris detrimento ac ſumma pernicie prolixe agit Johannes Benedictus Sinibaldus *Geneanthrop. Lib. 9. Tract. 2. p. 742. ſeqq.* Secundum Georg. Wolffg. Wedel. *Diſput. de vener. medic. & morbif. Cap. 3. p. 35. ſeq.* exceſſum veneris preſſo pede conſequuntur vitalium principiorum depauperatio, humidi radicalis, calidi innati ſpirituumque vitalium & animalium abſumtio. Deprædatis vero ſpiritibus acidum præternaturale, tum in primis viis, tum in univerſa maſſa ſanguinea ſuccedit. Venus nervos & cerebrum lædit, vires elidit & debilitat; qualia exempla diverſorum ſymptomatum, in maribus obſervatorum, v. g. amentiæ, cerebri exſiccati, apoplexiæ, palpitationis cordis, ſyncopes, hydropis, gonorrhœæ, epilepſiæ, teſticuli ſcirrhoſi, memoriæ defectus, cœcitatis, canitiei, febris acutæ, podagræ, choleræ ſanguineæ & ipſius mortis in Spermatologia noſtra *Cap. 5. §. 25. ſeq. p. 258. ſeqq.* adduximus. De ſponſa ex primo congreſſu maritali epileptica facta, v. Chr. Fr. Paullin. *de Theriac. cœl. Sect. II. p. 114.*

§. 38.

Feminarum ſymptomata. Quamvis autem ejusmodi ſymptomata ob nimiam ſpirituum diſſipationem ſæpius in maribus, quam feminis obſerventur, minime tamen mulieres ab ejusmodi ſignis & ſymptomatibus poſt coitum ſunt immunes. Inquit enim Gothofredus Mœbius *Fundam. Medicin. phyſiolog. Cap.* 19. *p.* 497. matronam ſe vidiſſe nobilem, cui, quum maritus extra modum venereus contigiſſet, tota oculorum circumferentia livida erat. Et Philoſophus, pergit idem, conſenſum hunc quoque annotavit, inquiens: Sedes oculorum maxime omnium capitis locorum ſeminalis eſt, quod ſolas ipſas per coitum venereum maxime immutetur, & uſu immodico rei venereæ oculi aperte langueant & ſubſideant.

§. 39.

Syncope. Syncopen etiam mulieres quandoque in coitu pati, probat Paulus Zacchias *Quæſt. med. legal. Lib.* 7. *Tit.* 3. *Qu.* 5. *n.* 7. *fol.* 646. quædam, inquiens, mulieres ex coitu uterinos dolores, lipothymiam, ſyncopen, aliosque affectus incurrere ſunt paratæ: quemadmodum ſcorto cuidam, cui Angela nomen erat, evenire conſueviſſe narravit mihi JoſephusGhislerius, Romæ inter primarios urbis medicos medicinam exercens: quotiescunque enim mulier hæc cum viro congrediebatur, maxime ſi bene mentulatus exiſteret, in ſyncopen levem incidebat; ſi vero & ipſa ſemen emitteret, in graviorem ſyncopen prolapſa longiuſculo temporis ſpatio ad ſeſe redibat, nonnullisque in poſterum diebus decumbere, & ex laſſitudine & ex ventris dolore cogebatur. Sic etiam Dyſeridis ancilla Lariſſa, narrante Hippocrate *Lib.* 5. *de Morb. vulg. num.* 12. cum venere uteretur, doloribus vehementer affligebatur. Animi deliquium in juvencula ex receptione ſeminis annotavit Johannes Jacobus Waldſchmidius *M. N. C. Dec. I. An.* 3. *Obſ.* 233. *p.* 422. Juvencula, inquiens, jucunda & formoſa, temperamenti ſanguinei, vivebat in conjugio ſterili, cum marito valde calido, ſicco & atrabilario. Cauſam

ſteri-

ſterilitatis rejiciebat in ſemen virile, quod recipiebat quidem ſumma cum voluptate, verum eo ipſo momento tantis afficiebatur anxietatibus cordis & infimi ventris cruciatibus, ut ſæpiſſime etiam animi deliquium incurreret, donec varie ſeſe torquendo omne ſemen rurſus effluere ſentiret; quo facto ab omni moleſtia libera non recuſabat priores mariti amplexus. Novit etiam Marcellus Donatus mulierem ſcortum inſigne Lucretiam vocatam, quæ in coitu aliquando animo linquebatur, uti refert *de Med. Hiſtor. mirab. Lib.* 4. *cap.* 17. *p.* 394. De matrona ſpecioſa, ſalaci tamen, ſemperque poſt coitum materiam albicantem vomitu excernente, *vid. M. N. C. Dec. I. An.* 1. *Obſ.* 4. *p.* 20. Item de vomitu cum dyſuria poſt coitum ordinario, vid. *l. a. Dec. II. An.* 7. *App. p.* 157.

§. 40.

Alia quoque ab immoderata venere nimioque coitu maribus obvenire varia & quandoque lethalia ſymptomata in Spermatologia noſtra *Cap.* 5. §. 25. *ſeqq. p.* 258. *ſeq.* variis exemplis probavimus; qualia adhuc alii autores annotarunt; videlicet Albertus Magnus, juxta Roder. a Caſtro *de Natur. Mulier. Lib.* 2. *Cap.* 5. *p.* 58. cujusdam mentionem facit, qui ex immodica ſalacitate occubuit, & ſine cerebro inventus fuit. Fatui talis a nimio coitu mentionem facit Henricus ab Heer *Obſerv.* 9. *p.* 102. nimirum ſexagenarius mercator, ducta poſt conjugis mortem ancilla, & juvene & bella; cum primæ noctis maximam partem inter ſolida gaudia conſumpſiſſet, mane a ſomno ſatis longo, ſed inſomniis turbatiſſimo evigilans omnino delinquit, fatuiſſimus, ſine febre tamen, obſcœniſſima & quæ in moreto nullus leno tuliſſet effutiebat; mirantibus in modeſto hactenus homine tantam linguæ petulantiam amicis, accerſitus Heerius cum varia inſtaurantia, confectionem alkermes, duplicatis moſcho & ambra dediſſet, alto & placido ſomno hominem ſopivit, a quo recreatus & corporis & animi vires recuperavit, ignarisſimus ante ineptiarum, aut certe ita prudenter eas diſſimulans. Sequentia *Mors.*

quentia immoderatæ veneris damna refert Thomas Bartholinus *Hiſtor. anatom. Cent. VI. Hiſt. 94. p. 366.* Liburni mercator belga deſideratæ amicæ complexu primo tam avide & inſatiabiliter fruebatur, ut in ſinu ipſo exſpiraverit. Alius ſponſus immoderatæ veneris primæ pœnam luit perpetua nervorum imbecillitate. Tertium novi, pergit Bartholinus, qui primo noctis conflictu crebriore in febrem incidit acutam, cum virium defectu, ventriculi ſubverſione immoderata ſiti, lipothymiis, ut pene de novo ſponſo fuerit conclamatum.

§. 41.

In coitu morientes mares. Denique obſervantur etiam in ipſo coitu, & quidem vel ab immodico veneris uſu, vel ex alio infortunio, animam efflantium exempla, qualia in Spermatologia noſtra *Cap.* 5. §. 41. *p.* 268. recenſuimus, quibus addendus Giacherus Geneva Salucianus, qui ætate jam ingraveſcente, prætextu utenſilium curandorum, veſtiumque curandarum, puellam per poſticum admittere conſueverat. Quodam enim die, cum a puella diutius, quam conſueverat, recipere ſe ad uxorem & liberos tardaret, ſeriorque hora uxorem & liberos in ſuſpicionem adduceret, ne quid marito adverſi contigiſſet, quia ſtrepitum nullum in muſeo evolvendorum librorum (ut ei mos erat) exaudiebant: poſteaque vocando pulſandoque non profecerunt, effracto loci oſtio, cum lumen intuliſſent, invenerunt eum in puellæ complexu, illius ventri, eo modo, quo venus exercetur, incumbere, atque utrumque exanimem, ſine ullo violentiæ mortis ſigno eſſe. vid. Joh. Schenck. *Obſerv. medicin. Lib.* 4. *fol. m.* 533. Attila orbis terror ex Italia reverſus cum Mycoltham, pulcherrimam Bactrianorum regis filiam, duceret uxorem, in ejusque nuptiis regali apparatu celebratis ſolito largius ſe vino ingurgitaſſet, nocte inſequenti illam comprimens venereis plus æquo dedit operam, unde ſanguis in univerſo corpore efferbuit, ejusdemque profluvio, dum altiore tenetur ſomno ſuffocatus eſt. vid. Franc. Boſell. *Amalth. med. hiſtor. Apparat.* 2. *Cap.* 8. *p. m.* 161. Et juxta Si-

mon.

mon. Majol. *Dier. Canicular. Tom. IV. Colloqu.* 1. *fol. m.* 743. Attila Hunnorum rex, flagellum qui ſe Dei omnipotentis nominare conſuevit, ipſa nuptiarum feſtivitate, in amplexu novæ ſponſæ, repentina morte ſublatus, omnem regalis magnificentiæ ſplendorem & lætitiam in pannos, pullos & funerum luctum convertit.

§. 42.

Feminas quoque fataliter in actu aphrodiſiæ voluptatis obiiſſe, ſequens Laodiceæ Philocaptæ in templo D. Mariæ Ravennæ poſitum epitaphium teſtatur, quod hoc eſt: *Femina.*

F. I. DICAT.
CINERES ET OSSA LAODICEÆ
PHILOCAPTÆ HIC SITA SUNT,
PERPETUÆ MEMORIÆ FACTI
ET INFAMIÆ CAUSA
QUÆ INSACIABILI VENERE EXHAUSTA
SUBTER VIVO VIRO MORTUA EST
VIX ANN. XXIII. MENS. VIII. D. IV.
INFELICISSIMI PARENTES TACITO NOMINE
EXTRA SORTEM AD RUDERA POSUERE
O VORAGINEM ESURIENTEM.

vid. Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib.* 9. *Tr.* 2. *cap.* 22. *p.* 794. Attamen ſecundum Chriſt. Frid. Garmann. *de Miracul. Mortuor. Lib.* 1. *Tit.* 2. §. 16. *p.* 296. non ſolum Laodiceæ Philocaptæ ſors iſta obtigit, cum de Angirilla inter amplexus mortua hiſtoriam recitet Johannes Antonius Campanus, ita ſcribens: Angirillam vicinam ſcribis occidiſſe, & quod miſerrimum atque infeliciſſimum putas, inter amantis oſcula atque amplexus exſpiraſſe; longe falleris opinione. Siquidem non occidunt, qui ita perire voluerunt, ut animam non desererent quidem, ſed amanti certiſſima fide committerent. Nam ſi, quemadmodum Lucretius, amantes toto corpore in corpora migrare cupiant, eamque ob rem oſculandi coeundique appetitus oriatur, ut oculis animam,

corpus coitu in rem transferamus amatam, quid felicius evenire potuiſſet, quam corpus in ulnis, animam vero in amantis pectore fuiſſe reconditam &c. Idem Garmannus etiam *l. a.* §. 17. ex Thoma Cantipratano notabile exemplum utriusque ſexus recenſet de presbytero & moniali in concumbendo mortuis, & quoad totum corpus rigidis. Hos enim vetula monialis in lecto jacentes, & conjunctos cruribus brachiisque inflexis turpiter ita, ut irrigidati nulla arte ſeparari ab invicem potuerint, invenit; quorum cadavera cum horrore & ſcandalo multorum ſicut inventa fuerunt, ſimul fuerint ſepulta. Et juxta Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. l. a.* Hieronymo Magio referente, quidam illi notus, Cornix appellatus, cum in agrum oppidi divi Johannis vallis adveniſſet, tempeſtatem nimborum fugiens illico exortam, divertit ad mulierculam quandam, quam cum noctu cognoſceret, domus ipſius lapſu cum pellice exanimatus eſt. Eodem Magio autore Neapoli ſponſus quidam, cum virginem ſponſam deflorare conaretur, ligneo orbe, a quo conopeum pendebat, in caput ejus elapſo occubuit.

§. 43.

Interdum etiam coitus intempeſtivus non tam ipſis parentibus ſeu concumbentibus, quam fœtibus demum edendis noxius eſt, ſiquidem ſecundum Chriſtiani Warlizii *de Morb. biblic. cap.* 12. *p.* 375. *ſeq.* verba, maxime nocet coitus inſtante ebrietate, quia cum ſumma fœtus fit jactura. Nam inde genituræ initium ſtatim fit vitioſum, unde non mirum, cur tot epileptici inde naſcantur. vid. Galen. *de Uſu Part.* Quare Diogenes juvenem videns dementem, dicebat: Pater ebrius te genuit.

CAPUT II.

De coitu impedito.

§. 1.

Coitus impeditus COitum ſæpe a parte viri, & quidem vel ob inſufficientem penis erectionem ſeu rigiditatem, vel impoſſibilem ſeminis

in

in uteri vaginam injectionem a variis cauſis, v. g. a penis phimoſi, mutilatione ſeu amputatione, & aliis membri virilis vitiis, impediri, in Spermatologiæ noſtræ *Cap.* 10. vidimus; hoc loco autem talis impedimenti cauſam etiam in ſequiori ſexu indagabimus. Quandoquidem ſcilicet coitus ratione feminarum impeditur, ita ut viros vel difficulter & cum dolore, vel plane non admittere, nec ab iis iniri queant, dum nimirum ingreſſus in uteri vaginam, vel per excreſcentiam, vel per coalitum, vel per membranam, illam obvelantem, obſtructus deprehenditur. Interdum etiam clitorides vel caudæ in orificio vaginæ in tantam molem excreſcunt, ut absque cura chirurgica viri admiſſum impediant. Vel juxta verba Hermanni Frid. Teichmeyeri *Inſtit. medic. legal. Cap.* 14. §. 2. *p.* 97. *ſeq.* mulieres clitoride enormi inſtructæ viri mentulam admittere haud poſſunt, nec volunt interdum, ſed potius cum aliis coire tentant. Et ſecundum Joh. Georg. Simon. *de Impotent. conjugal. Cap.* 6. *Th.* 6. *n.* 3. *p.* 127. clitoridis juſto major eminentia copioſo ſpiritu affluens conjunctioni conjugali obſtaculum affert. Quod etiam confirmat Paulus Zacchias *Quæſtion. med. legal. Lib.* 7. *Tit.* 1. *Quæſt.* 9. *n.* 11. *fol. m.* 603. Tumoris aquoſi in clitoride nimis tumida & monſtroſa meminit Georgius Hieronymus Velſchius *Epiſagm. Obſ.* 78. *p.* 51. inquiens: Cum 1655. Antonius Molinetus Patavii tumorum naturam & curationem explicaret, narrabat, tumorem ingentem Venetiis ſibi viſum, ſeroſo humore plenum & pellucidum, ex apice clitoridis enatum atque fere ad pedes usque propendentem, quem ſimplici amputatione percuravit, novem libras pondere æquantem. Phymate ſeu tuberculo quodam oblongo in anguſtiis matricis nobilis quædam & generoſa domina usque adeo afficiebatur, ut ejus impedimento difficilior redderetur marito initus, teſte Joanne Wiero *Obſ. Lib.* 1. *Oper. pag. m.* 942. Amatum Luſitanum caudam ponderis viginti quinque librarum vidiſſe, refert Theophilus Bonetus *Polyalth. Tom. III. cap.* 1. *fol.* 3. Et ruſticæ cuidam Bavaricæ clitoris in tantum

tum excreverat, ut longitudinem dimidii cubiti adæquaret, in craſſitie vero pollicem viri robuſti, atque ſic impedita vix erecta incedere poſſet. vid. Johann. Helwig. *Obſ.* 138. *p.* 378. De quo impedimento vid. Muliebr. *Sect. II. Cap.* 2. §. 12. 31. *&* 33. ubi ſimul quæſtio: An femina nimia clitoride vel alia excreſcentia præternaturali, cauda dicta, laboranti matrimonium ſit interdicendum, vel etiam iterum diſſolvendum? ventilatur. Huc pertinet, quod ſcribit Nicolaus Venette *dela Generat. de l'homme Part.* 4. *cap.* 2. *p.* 585. *ſeq.* Il n'y a que les incommodités, qui vont jusqu'a s'oppoſer aux plaiſirs de l'amour & à empêcher un homme de s'allier amoureuſement à ſa femme, qui puiſſent être des cauſes legitimes dela diſſolution du mariage. Car ſi une femme eſt extrémement étroite, & ſi le conduit dela pudeur eſt bouché ou par la grandeur exceſſive du clitoris, ou par la membrane charnuë, que l'on nomme hymen, on doit croire, que cette femme eſt abſolument ſterile, parcequ'elle ne peut ſouffrir les careſſes d'un homme. En effet, toutes les cauſes, qui peuvent empêcher un homme de joüir avec ſa femme des plaiſirs, que le mariage luy permet de prendre, ſont toutes capables de faire la divorce.

§. 2.

a clitoride oſſea.

Coitum a clitoride oſſea impeditum annotavit Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. III. Hiſt.* 69. *p.* 137. Venetiis, inquiens, ſcortum erat Italis quibusdam meis amicis ſatis notum, & familiare, cujus clitoris oſſeus extans amaſios in amplexu impediebat lædebatque, ut ſæpius inflammatione oborta chirurgorum imploraverint auxilium, a multis tamen viſitabatur ob formæ elegantiam haud cottidianam. Idem Bartholinus *Epiſtol. med. Cent. III. Epiſt.* 94. *p.* 407. ad Olaum Borrichium perſcribit, ſe Venetiis oſſeam clitoridem ſatis prolixam vidiſſe; Hæc femina interrogata, an maritum velit, annuit, modo habere poſſit. Hinc deinde in Pomeraniam abiens corporis ſui uſura feminam ſe probavit, petentibus militibus nimium de hac venere

curioſis

curioſis ſoluto pretio familiaris, nimis profecto pretioſo, nam lue venerea infecta receſſit. Et *Anatom. renov. Lib.* 1. *Cap.* 34. *pag.* 292. dictus autor in hoc ſcorto Veneto clitoridem oſſeam fuiſſe jam abſciſſam, ob cujus duritiem membra amantium fuerint inflammata, ſcribit.

§. 3.

Simile quid, penis vel clitoridis formam referens & coitum quandoque impediens, in feminis hermaphroditis deprehenditur, quale exemplum refert Gabriel Clauderus *M. N. C. Dec. II. An.* 3. *Obſ.* 75. *p.* 169. *ſeq.* de cive quodam honeſto, qui matrimonium ingreſſurus virginem non inhoneſtæ famæ ſibi eligit. Dum autem conjugii debitum ſponſæ ſuæ perſolvere aggreditur, dapes has venereas neutiquam experitur ita dulces, veluti quidem easdem ſibi promiſerat, (prima autem vice, dum vixerat, coitum tunc exercebat.) Rem enim ſuam in novellæ uxoris rem immiſſurus invenit portam hancce nimis anguſtam & vix duos digitos transverſos amplam; Et quod majus adhuc fortunæ adverſæ obtigit tragicum ſymptoma, mentula conatu violentiore intruſa ſentit aliquid interius contra audentius ire audens, atque ita huic introitum ſumme dubium reddens. Miſellus iſte cæci Cupidinis miles duellum hocce amatorium, præter opinionem ingratum, ſatis ægre ferens, ex amicis clanculum ſciſcitatur aphrodiſiorum caſtrorum exercitia conſuetasque circumſtantias; atque ita hiſce certior factus de deſiderata caſtelli hujus mirabilis atque miſerabilis expugnatione deſperat; propterea rem geſtam magiſtratui eccleſiaſtico denuncians, divortium petit, & quod petit, obtinet. Ocularis enim inſpectio, magiſtratus juſſu a perito chirurgo inſtituta, docuit, hominis hujus pudendum muliebre duos ſaltem digitos transverſos eſſe amplum, atque intra hoc, ſuperiori in parte. membrum apparere virile, primo intuitu duas ad tres digiti articulationes longum; inter leves autem contactus inæqualem magnitudinem adhuc excreſcere, durius inſimul redditum; Contrectatione adcura-

in hermaphroditis

 tiore

tiore itidem edocente, ſub carne adhuc latitare ejus portionem digitum longam; penem iſtum glande eſſe præditum non perforata ac ſine præputio; labiisque pudendi muliebris diductis ſolitas non apparere nymphas; collo item uteri anteriore exiſtente quaſi cartilaginoſe duro &c. Tale exemplum paulo infra ex Nicolao Venette adduximus. Scorto Romæ famoſiſſimo a teneriori ætate inſignis clitoris obtigit, auricularis magnitudine, quæ illi, cum concumbebat, impedimento eſſe ſolebat, præcipue ſi coeundi deſiderio incenſa erat. vid. Paul. Zacch. *Quæſt. med. legal. Lib.* 7. *Tit.* 1. *Qu.* 9. §. 11. *fol. m.* 603. Interdum etiam ex procreſcentibus in vulva criſtis coitus impeditur: meminit enim Reinerus Solenander *Conſil. medicin. Sect. V. Conſ.* 15. §. 5. *fol.* 488. mulieris cujusdam, quæ criſtas in vulva habebat, ut coire non poſſet, abſtinentia tamen cibi potusque, præmiſſis etiam debitis purgationibus, forcipe & inſtrumento, roſtrum gruis dicto, aquis quibusdam fortibus, & unguento Ægyptiaco tuto ſanata eſt.

item in hermaphroditis.

§. 4.

Bina hermaphroditarum exempla, in quarum altera excreverat clitoris ad medii digiti longitudinem & mentulæ virilis craſſitiem, cum glande, frenulo & præputio, uti in viris eſſe ſolet, excepto, quod fiſſura glandis non eſſet pervia: in altera vero penis protuberabat circiter ad ſemi-digiti longitudinem, non perforatus; qui per cogitationes libidinoſas ad digiti longitudinem extendebatur; & in hac perſona ætatis viginti duorum annorum absque dubio coitum impediebat; refert Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 26. *fol. m.* 153. *ſeq.* Penem ſat magnum cum glande & præputio infra os pubis pendulum, & ſub hoc oſſe rimam anguſtam, vix pennæ anſerinæ recipiendæ capacem monſtravit femina quædam Hollanda, vid. Thom. Bartholin. *Epiſt. medic. Cent. III. Epiſt.* 94. *pag.* 406. *ſeq.* Anno 1647. pauperculæ cuidam ſexto ætatis anno inter ſaltandum

dum cum pueris coætaneis, extuberantiæ duæ, pro herniis bubonocelis habitæ, primum emicuere: quibus in ordinem redigendis chirurgi diu operam luſerunt: Teſticuli enim erant, qui jam prægrandes facti ſcrotis duobus cutaneis vix prominulis viſebantur, ex quibus diviſis & elongatis confingebantur vulvæ labia: aderat ſinus muliebris, in quo nymphæ & caruncula una vel altera myrtiformium loco. Erat & membranula, a perinæo ſurſum tendens, mediam rimæ partem tegens, unde peni virili introitus eſſe non poterat &c. vid. *M. N. C. Dec. I. An.* 3. *Obſ.* 168. *p.* 323 *ſeq.* Realdus Columbus *de Re anatom. Lib.* 15. *p.* 494. feminæ Æthiopicæ ſeu Cingaræ meminit, quæ neque agere neque pati commode poterat; nam uterque ſexus imperfectus illi contigerat; Penis namque minimi digiti longitudinem craſſitiemque non excedebat: vulvæ autem foramen adeo anguſtum erat, ut minimi digiti apicem vix intromitteret. Optabat miſera, ut Columbus hunc illi penem ferro evelleret, quippe quem ſibi impedimento eſſe diceret, dum cum viro coire exoptabat; optabat etiam, ut vulvæ foramen illi amplificaret, ut viro ferendo idonea eſſet. Plura ejusmodi exempla reperientur in Spermatolog. noſtr. *Cap.* 13. §. 17. *ſeqq. p.* 577. *ſeq.*

§. 5.

Non modo autem inter hermaphroditas, ſed alias quoque feminas tales anguſtæ ſeu arctæ, & interdum plane obſtructæ, clauſæ & imperforatæ, Græcis atretæ dictæ reperiuntur, cum quibus coitus cum immiſſione mentulæ virilis, ſine prævia operatione chirurgica exerci nequit. Cum vero hæc partium genitalium muliebrium occluſio utplurimum mediante membrana quadam fiat, uterique oſculo interno velum quaſi obtendatur, tales feminæ nonnullis etiam velatæ nuncupantur. vid. Paul. Zacch. *Quæſt. med. legal. Lib.* 3. *Tit.* 1. *Qu.* 7. *n.* 24. *fol.* 282. Hunc affectum latino nomine nonnulli ſimpliciter clauſuram, vel clauſuram muliebrem, Græci φίμωσιν; & juxta Hieron. Mercurial. *de Morb. Mulier. Lib.* 4. *cap.* 14. in Iſrael. Spacch. *Gynæc. fol.* *Atretæ.*

 286.

286. Albucaſis alraticum, & Rhaſis ractam appellarunt. Imprimis tale coeundi impedimentum conſiſtit vel in labiorum vulvæ occluſione a membrana hymenis, vel a coalitu, vel a connexione nympharum, vel a firmiori caruncularum myrtiformium cohæſione, ubi dictæ carunculæ fortioribus atque ſolidioribus inter ſe invicem ligamentis connectuntur. Juxta Petri Foreſti *Obſervat. Lib.* 28. *Obſ.* 55. *fol.* 707. imperforatus vulvæ meatus tripliciter contingit: Quibusdam enim extrinſeca figura ſolida validaque membrana, vel carne agnata conglutinatur; aliis ſinus ipſe, aliis uteri os obſtruitur. Et juxta ſcholia fit uteri clauſura tribus modis: pinnaculis ſibi cohærentibus: vel ipſis patentibus, in medio ſinu muliebri pulpa vel membrana innaſcitur: vel etiam ſinu patente orificium uteri clauditur. Ubi pinnacula cohærent, ad tria officia mulieres impediuntur, ad uſum veneris, purgationem & conceptum; ſi in medio ſit clauſura, communicationem viri & conceptum; ſi orificium fuerit clauſum, non purgantur, nec concipiunt, virum tamen ſuſtinent.

§. 6.

Diſtinctio inter anguſtas & imperforatas

Diſtinguendæ quidem ſunt anguſtæ & arctæ ab atretis ſeu imperforatis, cum in illis via adhuc aliqua, licet anguſta, ad uterum deprehendatur, per quam ſanguini menſtruo aliisque humoribus naturalis effluxus conceditur; in his vero ſeu imperforatis, proprie dictis, talis via penitus occludatur, variaque exinde ſymptomata, quandoque etiam lethalia oriantur. Licet autem juxta Benjam. Hederic. *Lexic. Græc.* ἄτρητος ſit non cavus, non foratus nec pertuſus, non perterebratus, nos tamen hoc loco ſub nomine atretarum tales feminas dictas ſeu intellectas volumus, quibus partes genitales partim totaliter, partim partialiter atque cum remanente rima majori vel minori pro menſium evacuatione, & quidem vel ſolida membrana vel innata carne ſunt occluſæ. Diſtinguunt etiam nonnulli medici inter hymenem & matricis clauſuram; ſcribit enim Balduinus Ronſſeus *Epiſtol.* 49. *p.* 187. ad Johanem Wierum: Etſi tua ſcripta

talia

talia ſint, quæ ſummam doctrinam, maximum ingenium, exactiſſimumque judicium declarent; unum tamen eſt, in quo mihi non per omnia ſatisfacias, eo præſertim loco, quo Antonii Benivenii ſententiam de naturalium clauſorum inciſione recitans, videris hymenem cum matricis clauſura confundere. Nam quantumvis conſtet hymenem eſſe, ſicuti tu certisſimis demonſtrationibus, & clarius, quam quisquam hactenus, vel ex ipſis bibliis, comprobas; non tamen hinc inferendum eſt, membranulam illam, quæ ori vulvæ opponebatur, hymenem eſſe, ſed aliam quandam, quæ circa ipſius pudendi oſculum adnata ſit; noſti enim, ſicut puto, feminarum naturalia frequenter concubitum non admittere &c. Circa quam tamen diſtinctionem notandum, plures clauſuræ muliebris occurrere cauſas, v. g. vulnera, ulcera, eroſiones, combuſtiones &c. & inter has etiam occluſionem per membranam, a prima conformatione exortam, quam nonnulli medici cum Ronſſeo ab hymene diſtinguunt. Quia vero ſecundum ea, quæ in Muliebribus noſtris de hymene adduximus, multi recentiorum hymenem vel penitus negant, vel præternaturaliter tantum quandoque in puellis & virginibus deprehendi concedunt, vid. Caſp. a Reies *Quæſt*.39. *n*.13. *p*.478. Interim tamen ipſi hymenem defendentes tam ratione ſubſtantiæ, quam ſitus ſeu loci & figuræ inter ſe diſſentiunt, dum alii eandem membranam membranaceam, alii nervoſam, alii ligamentoſam, alii venoſam, alii carneam, alii partim carnoſam, partim nervoſam, alii retiformem, alii aranearum telis ſimillimam, alii tenuiſſimam & ſubtilem, alii craſſam atque robuſtam eſſe aſſerunt; ratione ſitus hanc membranam modo in ſuperiori, modo inferiori, nunc anteriori, nunc poſteriori loco quærunt; & ratione figuræ alii eandem oblongam, alii lunatam, alii circularem, alii perforatam, alii imperforatam vidiſſe venditant; exinde ſane, licet alii contradicant, vid. Paul. Zacchiæ *Quæſtion. med. leg. Lib*. 4. *Tit*. 2. *Quæſt*. 2. *n*. 4. *f*. 377. mihi nulla fere inter hymenem & membranam atretarum differentia ſubeſſe videtur, niſi

Autorum ſententia.

ratione tenuitatis & craſſitiei, ſiquidem dum dicta membrana in quibusdam puellis reperibilis adhuc tenuis & ſubtilis eſt, tunc digitis, & inſtrumentis vel etiam in primo coitu a veretro virili facile disrumpi poterit; quod ſi autem natura & a partu, vel ætate & affluxu humorum craſſior, carnoſior vel ligamentoſa fuerit, ita ut coitum difficilem reddat, vel plane impediat, tunc demum tales feminæ, ex membrana occluſæ, atretæ appellantur.

§. 7.

Clauſuræ cauſa & locus.

Quod autem jam de hymenis loco dixi, idem de atretarum membrana confirmat idem Balduinus Ronſſeus *l. a. Epiſt.* 14. *p.* 54. Uterum, inquiens, in mulieribus aut a nativitate, aut ab aliquo accidente obturari novum non eſt, quando in Aetio Amideno & Paulo ex Ægina medico auctoribus trifariam accidere ſoleat; quibusdam enim in ipſis pudendi alis aut labiis membrana aut caro obturans enaſcitur, aliis in ipſo pudendi ſinu idem contingit, aliis circa uteri oſculum eadem obturatio fieri conſuevit; Albucas etiam in ipſis lateribus eandem fieri auctor eſt, vid. Avicenn. *Lib.* 3. *Fen.* 21. *Tr.* 4. *Cap.* 1. *fol.* 503. Juxta Paul. Barbett. *Chirurg. Part. I. cap.* 13. *p. m.* 37. aliquando puellarum pubes præternaturali membrana obducitur; aliquando tota eſt concreta; aliquando labia poſt male tractatum ulcus ſibi invicem concreſcunt, & haſce partes viris prorſus inhabiles reddunt: aliquando caruncula quædam præternaturalis uteri orificium occludit. Et ſecundum Fortunat. Fidel. *de Relat. medic. Lib.* 3. *p.* 370. hoc obſtaculum ſæpe a natura eſt: non raro ab ulcere male curato ſuccreſcente nimirum carne, aut meatibus cicatrice coactis contractisque. Juxta Petr. Foreſt. *Obſ. medic. Lib.* 28. *Obſ.* 55. *fol.* 707. quibusdam extrinſeca figura ſolida validaque membrana, vel carne agnata conglutinatur, aliis ſinus ipſe, aliis os uteri obſtruitur. Verbo clauſura hæc modo in pudendi externis, modo in vaginæ orificio, vel etiam in ipſa vagina ejusve medio, tandem modo circa ipſum orificium uteri internum

nium fieri ſolet, uti ex proxime ſequentibus atretarum obſervationibus eluceſcit; in prioribus caſibus coitus ſeu mentulæ virilis immiſſio, impeditur ſimulque conceptio, ſi plenaria fuerit occluſio; hinc etiam ejusmodi feminæ, niſi per operationem chirurgicam ab impedimento tali liberentur, ad matrimonium ineptæ habentur; in poſteriori autem ſeu ultimo caſu, ubi ſolummodo internum uteri orificium obvelatur, vel obſtruitur, non æque coitus, quam conceptio, impeditur; oriturque tale vitium vel a prima conformatione, & quidem a forti matris imaginatione, vel a coalitu & violentia quadam in his partibus tenellulo corpuſculo, quandoque etiam adultis illata.

§. 8.

Exempla naturalis partium pudendarum muliebrium clauſuræ tam veteres quam recentiores annotarunt autores. Inquit enim C. Plinius *Natur. Hiſtor. Lib.* 7. *cap.* 16. *fol. m.* 110. quasdam concreto genitali gigni, infauſto omine, Cornelia Gracchorum mater indicio eſt. Semel tantum in quadraginta trium annorum ſpatio virginem imperforatam, quæ vulgo Italis dicitur coperchiata, ſe vidiſſe ſcribit Hieronymus Fabritius ab Aquapend. *Oper. Chir. Part. I. cap.* 82. *Edit. Francof. p.* 308. Et *p.* 307. mulieris meminit, quæ inventa eſt uteri quidem orificium habens efformatum, ſed glutinatum, ne amplius iter pateret a ſinu & vagina in uterum. In manus Antonii Benivenii incidit puella quædam jam matura viro, jam plenis nubilis annis, cui naturalia ipſa claudebantur; quæ cum ipſe, hoc malum curaturus, inſpiceret, videt membranulam quandam, quæ ipſius vulvæ ori opponebatur, vid. Ant. Beniven. *Obſ. medic.* 28. *p. m.* 180. Bina exempla, alterum ex Scaligero refert Johannes Schenckius *Obſ. med. Lib.* 4. *fol.* 549. de muliere, ex inceſto nata coitu, quæ aditu carebat ad coitum accommodato, am perpuſillo perque anguſto foramine ad urinæ vix uſum pervium habebat inguen; alterum ex Nicolao de puella quindecim annorum, aſpectu pulchra, cujus foramen vulvæ erat in quantitate unius parvi denarii.

Clauſuræ naturalis exempla.

Plura

Plura exempla vid. ibidem *fol.* 551. Guilelmo Fabricio Hildano oblata fuit ſemeſtris puella, cui orificium colli matricis mediante membrana denſiſſima clauſum erat. Membrana autem illa undique nymphis ſive carunculis cuticularibus adhærebat, quæ ſuperiore ſua parte foramine exiguo, per quod urinam excernebat, prædita erat. *vid. ejusd. Obſ. chir. Cent. III. Obſ.* 61. *Oper. f.*245. Idem etiam in puella Colonienſi anno decimo ſexto ætatis, varia cum menſium ſuppreſſione ſymptomata patiente, collum matricis ſubter pinnaculis mediante ſolida validaque membrana clauſum deprehendit. Item in aurifabri uxore, & quidem gravida, collum matricis mediante membrana dura atque calloſa, quæ hinc inde parvis exiguisque foraminulis, ad menſes expurgandos perforata erat, clauſum fuit repertum. Et in puella ſeptendecim annorum nata idem collum plane clauſum, cum ſanguine menſtruali extra vaſa ſua in matricis capacitate, novem menſium ſpatio, quaſi gravida fuiſſet, retento invenit. *vid. Obſ.* 60. *f.* 244. *ſeq.* Franciſcus Mauriceau recenſet obſervationem d'une petite fille de quatre ans, qui n'avoit l'entrée exterieure de la vulve perforée, que d'un petit trou, egale à la groſſeur du tuyau d'une plume de pigeon. *vid. les Obſervat. ſur la groſſeſſ. Obſ.* 172. *p.* 96. Ad atretas refert etiam Juſtus Fridericus Dillenius puellulam ſesquiennem, quæ membranam, ὑμένα appellatam, imperforatam, totumque vulvæ orificium occludentem nacta erat. *vid. Ephemer. Acad. N. C. Cent. VII. Obſ.* 43. *pag.* 89. Matrona quædam primaria Thomæ Bartholino retulit, ſe filiam habuiſſe, cui naturalia a vitæ primordio clauſa, cum ætate tamen ſponte ſua ſine ullis remediis reſerata fuiſſe, vid. Th. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. V. Hiſt.* 43. *p.* 96. Rensje Eeltjens, ex Friſia oriunda, virgo robuſta, annorum viginti duorum, & alvi & urinæ excrementa, legitima quantitate debitoque tempore deponebat, menſtrua vero necdum obſervaverat, in hac poſt varia ſymptomata vagina uterina deprehendebatur imperforata, ſic ut ingreſſus æque ac egreſſus negaretur excludendo æque ac admit-

admittendo, eo quod membrana valida orificium clauderetur, innotuit, referente Jobo a Meekren *Obſ. med. chirurg. cap.* 55. *p.* 260. *ſeq.* De puella nobiliſſima ætate duorum annorum, conjunctione labiorum pudendi & vaginæ laborante, illæſo tamen meatu urinario, vid. Petr. de Marchettis *Obſerv. med. chir. poſthum. Obſ.* 1. *p. m.* 132. In muliere quadam inciſo corpore vulva a medio infra verſus imam ejus partem junctis oris obcalluiſſe reperta eſt, quod ſterilitatis cauſam judicat Antonius Benivenius *Obſ.* 35. *p.* 190. In puella octo nata annos Johannes Schmied totum pudendum membrana carnoſa invenit obvolutum, ita ut ſuperius & inferius minutiſſimum tantum appareret foramen, vid. *M. N. C. Dec. I. An.* 3. *Obſ.* 124. *p.* 198. & *An.* 4. & 5. *Obſ.* 157. *p.* 199. Daniel Sennertus puellulam vidit, cui ita ſinus muliebris membrana occluſus erat, ut urina per exiguum & viſu vix conſpicuum foramen efflueret: quæ membrana a chirurgo ſecundum longitudinem, ſtylo exploratorio per foramen illud exiguum prius immiſſo, facili negotio diſſecta eſt, vid. Sennert. *Pract. Medic. Lib.* 5. *Part.* 1. *Sect.* 2. *cap.* 7. *pag. m.* 1005. Filiola quatuor annorum a primo ſtatim ortu hucusque urinam guttatim & cum ſumma difficultate atque maximo dolore reddebat: Chirurgus vocatus naturalia puellæ inſpiciens, invenit eadem membrana valida obducta, vix conſpicua rima quaſi acu leviter facta verſus inteſtinum rectum apparente, per quam urina in vagina cumulata non ſtillabat, ſed vix transſudabat; ulterius inſtrumento illuc truſo invenit membranam admodum craſſam, circumcirca cum carnoſa parte firmiter connexam, imo cum ipſo meatu conjunctam, unde puella graviſſimum dolorem in emiſſione urinæ percipiebat, uti refert Sim. Schulzius *M. N. C. Dec. I. An.* 3. *Obſ.* 3. *p.* 5. *ſeq.* De virgine imperforata ſequentem obſervationem communicat Johannes de Muralto *M. N. C. Dec. II. An.* 3. *Obſ.* 151. *p.* 296. E. S. octodecim annorum, tumorem in vulva ſuſtinuit capitis magnitudine, cum retentione & ardore urinæ, conatibus pariendi, ventris duritie circa umbilicum, &

magnitudine usque ad pubem, ut de impraegnatione quis non fruſtra dubitare potuiſſet, ni omni conatu virgo dici voluiſſet: vocari volui obſtetricem, & obſervavimus accuratius paulo tumorem cum vulvæ labiis undique cohæſiſſe, neque ſeparari ullo modo potuiſſe, unico urinæ ductu excepto: manu renitentiam & fluctuationem quandam tetigi & incertus fui, num vel mola, vel embryo, vel materia inibi contenta. Lancetta partem tumoris declivem profunde adacta aperui, atque ſanguinis fœculenti, impuri, craſſi, corrupti, non tamen multum fœtentis, aliquot menſuras cum levamine ægrotantis evacuavi, nullis penitus obortis ſymptomatibus; turundam foramini facto immiſi, ſicque deligavi, donec omnis materia evacuata fuerit, tunc ſectione hymen craſſius imperforatum novacula diviſi, & turundam plumbeam zona firmatam immiſi; dolores remiſerunt, puella obambulavit, & vegeta facta fuit, vid. etiam Joh. von Muralt *Chirurg. Schrifften Oper.* 34. *p.* 115. *ſeq.* Anno 1705. Juſto Friderico Dillenio Giſſæ oblata fuit puella ſesquennis, cujus pudendum membrana ſatis valida inſtar hymenis obvelatum erat, ut vix urinam excernere ei liceret. Hinc parentes veriti, eam poſthæc ſanguini menſtruo emittendo & matrimonio ineundo inhabilem futuram, rogarunt, utrum arte chirurgica illi mature, antequam adoleſceret, ſubvenire conſultum foret atque poſſibile? Quare vocatus chirurgus illico operi ſe accinxit, membranam cultello acuto per longitudinem incidit, abſterſo ſanguine turundam unguento digeſtivo imbutam vulneri impoſuit, utque id aliquandiu continuarent, ne labia vulneris iterum coaleſcerent, parentibus auctor fuit. vid. Ephemerid. *Acad. Nat. Cur. Cent. III. & IV. Obſ.* 43. *pag.* 96. *item Cent. VII. & VIII. Obſ.* 43. *p.* 89.

§. 9.

Alia exempla. Porro, cum mater quædam filiam ſuam, ſeptendecim annos natam, viro deſpondiſſet, ſciretque, ipſi in pudendis ſubeſſe aliquid, quod, quo minus mater & fœcunda eſſe poſſet, impediret, roga-

rogavit Ambroſium Paræum, ut ipſam inviſeret; qui membranam quandam reperit nervoſam, tenuiſſimam ſub nymphis, proxime id foramen, per quod mulieribus urina fluit, præ foribus orificii cervicis uteri: medio, ſed exiguo, foramine membranula illa pervia erat, qua menſes diffluere poſſent. Contemplatus ergo Paræus membranulæ illius tenuitatem, ipſam adactis volſellis reſcidit: deinde nupſit ſponſa & prolem peperit. vid. Ambr. Paræi *Oper. Lib.* 23. *fol.* 528. In puella unius anni pudendum muliebre membrana ita erat occluſum, ut in parte tantum ejusdem inferiori apertura, vix ſtilum admittens, reperiretur. v. Henr. Roonhuyt *Heil-Curen Lib.* 2. *Obſ.* 1. *p.* 105. qui *p.* 112. virginis meminit, cui tota vagina uterina a parte anteriori membrana craſſa plenarie obſtructa erat, *item p.* 118. *ſeq.* & *p.* 129. *ſeqq.* Judithæ du B. puellæ lactenti, conformationis vitio, vulvæ labia, prætenſa membranula, ita naturaliter coaleſcebant, ut non niſi per exiguum admodum foramen urina guttatim ſtillaret. Adacto a convocato chirurgo leviter cultello, membrana in longitudinem ſcindebatur, atque e vulnere cruor & ſuppreſſæ aquæ fluebant. Interpoſitis hiatui linteis oleo roſaceo imbutis, ne vulva denuo coiret, paucis diebus poſt ſanata eſt filiola, teſte Johanne Nicolao Binningero *Obſ. med. Cent. II. Obſ.* 61. *p.* 197. *ſeq.* Et *Cent. III. Obſ.* 83. *p.* 355. caſtæ cujusdam virginis meminit annorum octodecim, quæ circa novilunia, quibus mulieres juvenes menſtruatæ fieri ſolent, immanibus infimi ventris cum pondere & dorſi, circa uteri ligamentorum originem, doloribus ſemper affligebatur, nullo menſium effluxu ſubſequente. Corpus univerſum fœda ſcabie, ampla & humida, effloreſcebat. Quum vero nulla medicamenta proficerent, in oſculi interni uteri clauſuræ, (a ſtrictura vel diſtorſione, ob prætenſam conformationis vitio membranam,) ſuſpicionem & conjecturam venit Binningerus, in orificio enim pudendi non apparere quidquam certum erat &c. Diverſas quoque puellas, quarum vaginæ uterinæ velamento fuerunt occluſæ, ſibi occurriſſe, ſcribit

Jobus a Meekren *Obſ. med. Chir. cap.* 24. *p.* 115. De imperforato utero in puella trium annorum hanc obſervationem communicat Philippus Grünlingius *Curat. dogm. Hermet. Obſ.* 5. *p.* 7. *ſeq.* Anno 1622. die decimo Septembris naſcitur Annæ *Schneiders*, concubinæ cujusdam Canonici N. filiola imperforato utero. Hæc cum ageret annum tertium, a matre cum clauſo antro mihi pro re quaſi monſtroſa offertur, & oſtenditur. Ego omnia perſpiciens video, pinnacula antri clauſi cohærere, parva rimula, per quam nata vix ac ne vix quidem urinam reddere poterat, tantumque membranula coaluiſſe & facili negotio incidi poſſe, quod etiam poſtmodum a matre ipſa certo inſtrumento, ibidem depicto, factum eſt. Gerardus Blaſius anno 1670. adfuit mulieri cuidam robuſtæ, triginta circiter annorum, uterina clauſura circa pudendum laboranti. Quantum inſtrumento ſingulari per foramen præternaturali coalitus loco ſe exhibens, menſium ſeminalisve liquoris exitui inſerviens, immiſſo cognoſcere licuit chirurgo, non niſi paries hic aderat, anteriora vaginæ a poſterioribus diſtinguens, digiti minimi transverſi craſſitiem carnisque induratæ conſtitutionem habens. Conſultum viſum fuit interſtitium hoc primo cruciatim diſſecare, hinc partes ejus quatuor ſucceſſive cultri apti ope tollere. Et ex voto ſucceſſit operatio, juxta relationem Gerardi Blaſii *Obſ. medic. Part. II. p.* 40. In virgine, cujus venter nimis intumuerat, Cornelius Solingen vulvam a membrana tenaci penitus occluſam deprehendebat; hanc autem poſt inciſionem cum immiſſo digito ſucceſſive dilataret, magna nigricantis, aquei & fœtidi ſanguinis copia effluebat, ſicque decreſcente ſenſim abdomine brevi temporis ſpatio reſtituebatur. vid. Corn. Soling. *de Art. Obſtetric. in Oper. Chir. p. m.* 711. *ſq.* Similem vulvæ imperforatæ aperturam in virgine ſeptendecim annorum commemorat Franciſcus Mauriceau *dans les Obſervations ſur la Groſſeſſe Obſ.* 231. *pag.* 134. inquiens: Le 14. Septembre 1678. je fis l'operation dela perforation dela vulve à une fille de dix-ſept ans, qui m'avoit eſté addreſſée

par

par des perſonnes, qui croyoient, qu'elle euſt ne deſcente de matrice; à cauſe d'une tumeur plus groſſe, que le poing, qui luy ſortoit de l'endroit, où devoit eſtre l'entrée exterieure dela vulve; la quelle tumeur groſſiſſoit de temps en temps, lorsque la nature faiſoit ſes efforts pour ſe décharger du ſang menſtruel, qui rempliſſant en grande abondance tout le col dela matrice, & n'en pouvant avoir aucune iſſuë, pouſſoit ainſi au dehors, depuis deux ans entiers, une membrane charnuë aſſez épaiſſe, dont la vulve de cette fille eſtoit entierement recouverte, & nullement perforée, que du ſeul conduit de l'urine, qui eſtoit dans la ſituation ordinaire. De alia femina viginti quinque annorum, pro ſterili a marito habita, quæ tamen poſt perforationem fœcunda reddebatur, *vid. ibid. Obſervat.* 495. *pag.* 290. in editione Germanica a me translata *pag.* 389. & 837. Ejusmodi exempla plura reperimus etiam apud Petrum Foreſt. *Obſ. Lib.* 28. *Obſ.* 55. *fol.* 707. Caſp. Bauhin. *Theatr. anat. Lib.* 1. *cap.* 39. *p.* 133. Refert etiam Hieronymus Fabritius ab Aquap. *Oper. Chir. Part. I. cap.* 81. *p.* 307. pediſſequam multos ſcholares fruſtra tentaſſe deflorare.

§. 10.

Menſes a membrana vulvam claudente ſuppreſſos, perque hujus inciſionem evacuatos annotavit Fredericus Ruyſchius *Obſerv. anat. chirurgic.* 32. *p.* 42. Virgo, inquiens, viginti annos nata, & a multis menſibus valetudinaria, ſæpiſſime conqueſta fuit de hypogaſtrii ponderoſitate, & dolore intolerabili: ita ut mater ejus conſultum duxerit opem implorare medicam. Malum indagandi cauſa vocatur mecum chirurgus expertiſſimus, qui ex querelis & doloribus, ſingulis menſibus repetentibus, nobiscum conjecit menſtruorum præpeditum exitum cauſam vel anſam eſſe totius mali: ſicut eventus quoque edocuit: convaluit enim ſola inciſione cujusdam membranæ pone membranam hymenem ſitæ, & totam vulvam perfecte claudentis. Mirum dictu, quam tenſa erat dicta membrana propter ſanguinem *Item.*

 illic

illic ſtagnantem, totam vulvam extendentem & fruſtra exitum quærentem &c. Sequens exemplum refert Johannes Benedictus Sinibaldus *Geneanthrop. Lib.* 4. *Tr.* 1. *cap.* 12. *p.* 441. Cum Romæ ſtudiis operam navabam, ad aures meas pervenit, quod in quodam nequitiæ hoſpitio tres proſtitutæ reperiebantur ſorores, quarum pulcherrima, natu minor, clauſura laborabat, adeo ut, cum pellex callida rem nemini amaſiorum detegeret, ignari agoniſtæ, qui ad eam, ut forma præſtantiorem, inclinabant magis, in venerea lucta inſudarent, anhelarent, ac tandem defatigati abirent, libidine aut non expleta, aut male, & cum verecundia completa. In muliere poſt diuturnam menſium ſuppreſſionem ſubito defuncta membranam uterinis labiis appenſam, collum matricis ſeu vaginam claudentem, & menſtruorum ſuppresſionem cauſantem, ſe vidiſſe refert Menno Matthiæ *Obſ.* 6. *pag.* 81. *ſeq.* Duas hiſtorias ex Johanne Wiero refert Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. cap.* 5. *p.* 193. unam de filia duodeviginti annos nata, cui ſaburra cum ingenti dolore reſtitit, eaque poſtea ſponte perrupta copioſus ſanguis profuſus eſt. Alteri vero, quæ pro gravida habebatur, novacula clauſura aperta, ſupra octo libras ſanguinis atri profluxere. In virgine nunquam menſtruali uterum natura clauſum reperit Johannes Jacobus Harderus, ex cujus communicatione hanc obſervationem de virgine ruſtica annorum viginti duorum, recenſet Theophilus Bonetus *Sepulchret. Lib.* 3. *Sect.* 35. *Obſ.* 2. *fol.* 1348. *ſeq.*

§. II.

Atreſia accidentalis, ab eroſione.

Hactenus atreſiæ naturalis, ſive in quibus labiorum vulvæ coalitus, vel orificiorum vaginæ & ipſius uteri per membranam facta occluſio, a prima conformatione dependet, exempla recenſuimus: Occurrunt autem ſæpiſſime quoque aliæ atreſiæ accidentales, quæ puellis & adultioribus, a partu ſanis, ab aliis cauſis, v. g. ab eroſione, exulceratione, aut alia læſione ſupervenire poſſunt. Clauſuram enim partium genitalium muliebrium ab eroſione in lue venerea oriri, docet Nicolaus Venette

de

de la Generat. Cap. 2. Art. 3. pag. 45. inquiens: Les ulceres veroliques, qui arrivent aux parties naturelles des femmes, colent tellement la chair d'un coſté & d'autre, quand ils ſe gueriſſent, qu'il ne reſte plus ſouvent, qu'un petit trou, qui ſert à vuider de temps en temps les ordures des femmes. Souvent il y a durisque pour la vie, ſi on les coupe & ſi on elargit le conduit dela pudeur. Et *Part. IV. cap. 2. p.* 589. inquit idem: Il arrive quelquefois tant d'ulceres au conduit de la pudeur de quelques courtiſanes, qu'il s'on eſt vû, qui aprés eſtre gueris, l'avoient presque tout fermé par des cicatrices: ſi bien que les regles venant à paroitre, ne pouvoient couler qu'a peine par le petit trou, qui reſtoit & qu'homme voulant encore badiner avec elles, ne pouvoit penetrer dans un lieux, qui avoit eſté autre fois ſi couvert. Talem partium pudendarum clauſuram vidit etiam Antonius Benivenius in muliere, cui morbus, quam vulgo gallicum appellant, totam vulvam eroſerat, & incuria medici quidquid eroſum erat, oris invicem junctis obcalluerat. Indeque ſola urina, & ea ex parvo quidem foramine reddebatur. Huic Benivenius, propterea quod callus ipſe altior eſſet, quam ut citra mortis diſcrimen incidi poſſe exiſtimaret, conſuluit, ut incurata potius vivere, quam tanto ſe periculo exponere vellet. vid. Ant. Beniven. *Obſ. medicin. cap.* 31. *p.* 183. *ſeq.* Puellæ cuidam ſemeſtri orificium colli matricis tenui membrana claudebatur, exiguo foramine prope clitoridem aperto, pro urinæ excretione, quod vix aciculæ minoris caput æquabat. An hæc utriusque lateris commiſſura a prima nativitate fuerit, an poſtea acceſſerit, nec a matre, nec aliis expiſcari potuit Thomas Bartholinus. Naturale vitium negabat mater, quod diebus abhinc quatuordecim ex urinæ ſtillicidio primum animadvertit, quum antea liberalius fluxerit. Alii clam Bartholino retulerunt, excoriatæ parti miniſtrantium culpa impoſitum medicamentum adſtringens, quo excoriata latera coaluerunt. *v. ejusd. Hiſtor. anat. Cent. V. Hiſt.* 42. *p.* 94. Sequentem caſum refert Isbrandus de Diemerbroc

broc *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 26. *fol. m.* 151. *ſeq.* Anno 1640. mulier quædam, nautæ uxor, una cum filia ſua viginti quatuor annorum, ad me venit, & præ pudore lacrymis copioſis præmiſſis conqueſta eſt, iſtam ſuam filiam ad uſum viri ineptam eſſe, rogavitque, an illud incommodum tollere poſſem. Referebat filiæ ſuæ pudendum in principio poſt nativitatem bene conformatum fuiſſe, verum ex quo nutrici demandata & negligentius ab hac tractata fuiſſet, atque hinc per urinæ & ſtercoris acrimoniam clunes ad pudendum aliæque adſtantes partes ſæpius miſere excoriatæ fuiſſent, tandem hac de cauſa pudendum coaluiſſe, relicto duntaxat parvo foramine, per quod urina & menſes profluere poterant. Cum partem inſpicerem, comperi, labia una cum nymphis tam exacte coaluiſſe, acſi illic antea nulla major apertio fuiſſet. Immiſſo per foramen ſtylo ferreo, ſenſi, illam conſolidationem ſolummodo ſuperficialem in cute eſſe, intus vero nihil præter naturam coaluiſſe. Vocato igitur chirurgo ſuper immiſſum ferreum ſtylum inciſionem ad juſtam longitudinem fieri juſſi, atque ſic illa paucis diebus perſanata fuit, ita ut poſt tres menſes deſponſata virgo nullæ quæremoniæ de nimia anguſtia pudendi factæ fuerint, ſed illud ſequente anno fœtum ſatis magnum eructare potuerit. Item puella erat annicula, intertrigine aut excoriatione copioſa ob urinæ acrimoniam, ut fieri ſolet, affecta, huic tandem vulvæ oræ coaleſcunt interveniente membranula alba, nonnihil etiam dura, quippe quæ initio immiſſi ſpecilli apicem repellere videretur. Mira inde parentum ſollicitudo, non ſtatim in hoc caſu ad medici aut chirurgi operas properantium; ſed dum interim animi pendent, locumque iterum iterumque inſpiciunt, veriti ne longiore mora magis indureſceret valvula, & tandem ſero negligentiæ pœnam luerent, auxilium medici implorare conſtituunt: Nutricula autem, cum medici chirurgive manum crudelem ominaretur, effuſisſimis precibus fere & fletibus parentum propoſitum medicique præſentiam ſi non avertit, certe dilationem aliquot

die-

dierum impetravit. Illa interea locum quotidie diligentius inſpectat, nec, quod ante ſæpe & liberali manu tentaverat, partes illas ſevo obducit. Octavo inde die foraminulum, quod forte ſevum ante occluſerat aut occluſum ſolidaverat, apparet; magna inde nutriculæ, majora etiam parentibus tripudia. Jam vero patulum foramen non inſpicere tantum, ſed & tractare auſa nutricula, balenatiam alterius feminæ conſilio immittit virgam, lenteque ad juſtæ magnitudinis proportionem dilatat, ex quo nihil tale in adoleſcente virgine conſpectum, uti annotavit Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſerv. med. phyſic. Lib.* 1. *Obſ.* 25. *p.* 58. *ſeq.* quo loco aliud & quidem menſtruæ atreſiæ exemplum annectit: Puellæ ſcilicet jam nubili & octodecim annis majori quoties menſtrua fluxere, fluxerant autem ab anno quarto decimo, toties tribus quatuorve diebus ante fluxum nymphæ per membranam coaleſcebant gelatinoſam, adeo ut aditus penitus obſtrueretur: hanc illa, adventante jam ſanguine, molliorem digitis facile reſolvebat, patente hunc in modum fluxui via. Certe hic etiam a lympha uterina & vaginali, quæ ſæpe acris & copioſa præire menſibus ſolet, membranulæ valvuloſæ ſpeciem enatam arbitratur Pechlinus, ſed quæ a ſanguine emollita digitis facile cederet, nec ante rediret, quam eadem illa ſanies, quod tribus quatuorve diebus ante menſes fieri ſolebat, anguſtias ſubiret menſtruumque φαινόμενον repeteret.

§. 12.

Huc referendæ etiam aliæ clauſuræ partium pudendarum[a] cauſæ, v. g. coalitum cunni muliebris ex vulnere conſolidato obſervavit Theobaldus Fettich ad Petrum Fuhrmannum ita ſcribens: Femina, ſi bene memini, maritata cadens, lignum aliquod in manu tenens, ex improviſo impegit in pudenda, & ita iſtum tranſitum ad uterum & veſicam vulneravit. Huic data eſt potio vulneraria, & forſan alia ad vulnus appoſita; hinc paulatim vulnus coaluit, & meatus pudendi & urinæ paulatim totus clauſus, ita ut nihil quaſi illo ratione pudendi apertum appare-

[a] *vulnere.*

ret, loco iſto admodum ſicco, urina nulla per loca iſta permeante. Interim illa ab hoc tempore nihil urinæ per locum naturæ conſuetum, taceo de uteri excrementis, excernit, locis iſtis naturalibus ſemper, ut mihi videtur, præter naturam ſiccis. Femina vero illa ſingulis, vel alternis diebus, per vomitum materiam aqueam, inſtar urinæ excrevit. vid. Gregor. Horſt. *Oper. Tom. II. Lib.* 4. *Obſ.* 54. *fol.* 257. Ipſe autem Horſtius *fol.* 259. de dicta femina hæc refert: ex commiſeratione pauperculam viſitavi, & per chirurgum dilatatis cruribus ventrem inſpexi. Exterius primo adſpectu nihil præter naturam erat; at dilatatis nymphis mox callus induratus, loco foraminis, undique quatuor carunculis alias ornati, ſeſe offerebat, omni humiditate tota iſta cavitate carente, quam ob cauſam vix riſum continebam, ubi chirurgus germanice dicebat: *Das Ding ſoll naſs ſeyn. &c.* Juxta Caſpari Bauhini *Theatr. Anat. Lib.* 1. *cap.* 38. *p.* 133. orificium externum colli uterini aliquando ſupervenientibus rhagadibus, vel magna cicatrice per morbum anguſtius redditur, ita ut maritos amplius admittere non poſſint.

§. 13.

ab exulceratione. Item ab exulceratione juxta A. Cornel. Celſum *de Medicin. Lib.* 7. *cap.* 28. *p. m.* 518. feminarum naturalia nonnunquam, inter ſe glutinatis oris, concubitum non admittunt. Idque interdum evenit protinus in utero matris; interdum ulceratione in his partibus facta & per malam curationem his oris ſaneſcendo junctis. Si ex utero eſt, membrana ori vulvæ oppoſita eſt: ſi ex *Obſervatio.* ulcere, caro id replevit. Ante triginta aliquot annos puella quædam circiter triennis adeo variolis confluentibus laborabat, ut ob nimiam earundem copiam vix de loco in locum moveri, nec portari poſſet. Et quamvis ipſa erga adſtantes ſæpius de dolore urente circa partes genitales conqueſta fuerat, ex ignorantia tamen vel incuria nec mater, nec & miniſtrantes, easdem partes inſpiciendi vel eluendi curam geſſerant, unde fiebat, ut non modo vaginæ orificium & labia, ſed ipſa quoque vagina

fere

fere coaleſcerent, niſi medici cura ſedulaque chirurgi opera talis coalitus in tempore impedita, atque labia propemodum jamjam conglutinata iterum diſſoluta fuiſſent. A combuſtione & negligentia chirurgi vulvæ labiorum coalitum annotavit Paulus de Sorbait *M. N. C. Dec. I. An.* 3. *Obſ.* 73. *p. m.* 486. ſcilicet puella quædam octo circiter annorum, cum ſeſe, ut calefaceret, carbonibus in olla contentis inſideret, obdormiens, perfracto fictili, in carbones incidit, & totam perinæi, vulvæ & pubis regionem combuſſit; vocatus verboſus quidam chirurgus adeo negligenter eam curavit, ut integra vulvæ labia, firma cicatrice, ſibi conjungi, & relictis tantum duobus foraminulis, uno infra os pubis, altero prope anum, in perinæo, coaleſcere permiſerit &c. De cujus puellæ conceptione paulo poſt plura.

§. 14.

Imprimis autem poſt partum difficilem vulvæ labia & ipſa vagina uteri coaleſcunt; novit enim Guilielmus Harvæus mulierem, quæ a difficili & laborioſo partu integrum vaginæ ambitum interiorem laceratum atque excoriatum habuit; adeo ut, finito puerperio, licet gravida denuo fieret, tamen non ſolum orificii pudendi latera juxta nymphas coaleſcerent, ſed totius quoque vaginæ cavitas, usque ad internum matricis oſculum prorſus connaſceretur: unde nec virili membro, nec ſpecillo quidem, ingreſſus patuit, neque menſtruorum fluxui egreſſus. Inſtante itaque pariendi tempore torquebatur miſella perquam miſeris modis, omnemque ſpem deponendi ſarcinam abjecerat: quare, traditis marito clavibus ordinatisque rebus ſuis, amicis præſentibus valedixit. Cum ecce inopinato, robuſti admodum fœtus conamine, totus ille tractus dirumpitur, fitque inſperatus partus; & validus infans ſibi matrique ſuæ ſalutis autor exſtitit, viamque apertam aliis poſt naſcendis reliquit. vid. Guil. Harv. *de Partu Exerc. pag.* 518. Inquit etiam Caſparus Bauhinus *Theatr. Anat. Lib.* 1. *cap.* 39. *p.* 133. nonnunquam orificium colli ob exulcerationem poſt partum penitus coaleſcit, quod ſemel in

a partu difficili.

nobili matrona notavimus, in qua ne veſtigium quidem foraminis vel rimæ apparuit, eo modo, quo præter naturam in imperforatis puellis, quæ ἀτρῆται dicuntur, obſervatum aliquoties fuit. Quam obſervationem idem Bauhinus *Tr. de Hermaphrodit. Lib.* 1. *cap.* 38. *p.* 386. *ſeq.* prolixe deſcribit, inter alia referens, quod dicta matrona poſt partum conjugis congreſſum amplius ferre non potuerit, cum via ad uterum occluſa fuerit; orificium enim ſupra veſicæ cervicem ita perfecte coaluerat, ut negaſſes locum unquam pertuſum fuiſſe. Hunc dictarum partium coalitum confirmat etiam Johannes Riolanus *Enchirid. Anat. Lib.* 2. *cap.* 37. *p.* 184. nonnunquam, inquiens, poſt difficilem partum partes iſtæ dilaceratæ cohærent. Coalitus iſte naturalis in puellis ſeparandus, in mulieribus per accidens exortus etiam ſeparandus. De muliere Pariſienſi, quæ ex difficili partu laceratas habuerat partes genitales, cujus nymphæ & carunculæ tam arcte coaluerant, ut vix ſpecilli cuſpidem foramen admitteret; nihilominus iterum conceperat, vid. idem autor *Anthropol. Lib.* 2. *cap.* 35. *fol.* 197. Mulier Senenſis ex difficili partu collum uteri habebat ita agglutinatum, ut vix ſpecillum admitteret jam a ſeptem annis, talis permanſerat fruſtra a marito ſubagitata, vid. Joann. Riolan. *Parent. Art. bene medend. Sect. IV. Tract.* 2. *p. m.* 174. *b. ſeq.* Sequentem obſervationem ex communicatione Rudolphi Jacobi Camerarii *Ephemerid. Academ. N. C. Cent. IX. & X. Obſ.* 73. *p.* 384. legimus: Femina plebeja a primo partu, eoque perquam difficili, & tractatione violenta diu ægra & dejecta ab intumeſcentia quidem locorum epithematibus, a læſione autem ipſorum inferiore & interiore oleo ovorum cum balſamo Peruviano tarde admodum, non ſatis caute tamen, curata manſit abinde obnoxia frequentibus doloribus, per vices invadentibus, nullo leniendis remedio, niſi tandem ſponte ſenſim remiſerint, ſed ſubinde reverſuri: Primo negligentius habiti, donec tempus eorum periodicum & menſtruæ defectus purgationis, ſub memoria præteritorum, excitaret ſuſpicionem morbi

bi in conformatione læſa, maritus inſuper quæſitus impedimentum admiſſionis referret, & exploratio tandem chirurgica vaginæ occluſionem, a coalitione non externa ſuperficiali, ſed intimiore & profundiore ſalva urethra, confirmaret &c. De femina, quæ poſt partum immediate ſic & taliter conſtricta fuit ab obſtetrice, quod remanſit clauſa, ſic quod non potuerat vir ejus virgam imponere aliquo modo, nec potuit aliqua medicina aperiri, & facta fuit ſterilis, vid. Marcell. Donat. *de med. hiſtor. mirab. Lib. 6. cap. 2. p. 617.* Coalitum vaginæ uterinæ in gravida annotavit etiam Michael Bernhardus Valentini de piſtoris cujusdam uxore gravida, non ſine lacrymis conquerente, ſe a chirurgo in partibus genitalibus conſolidatam eſſe, (*ſie wäre gantz zugeheilet,*) poſtquam ob genitalium, ob partum difficilem, dilacerationem ejusdem auxilio uſa fuerat. Quum vero idem chirurgus ſub ipſa cura marito ejus ſuaſerat, ut turundæ loco virilia immitteret, ipſaque mulier ante vaginæ conſolidationem denuo concepiſſet, hac autem nunc per imperitiam chirurgi coalita, de propria non minus, quam fœtus vita, ob denegatum exitum, anxia & ſolicita eſſet, ob partus tempus appropinquans opem Valentini expetebat. Digitis ergo explorationem inſtituens orificium vaginæ ad duarum unciarum profunditatem adeo concretum & coalitum invenit, ut indicis apicem vix absque ſummo dolore admitteret. Suaſit ergo ſectionem chirurgicam, qua ſuſcepta & feliciſſime abſoluta dicta muliercula paulo poſt filiolum formoſisſimum enixa eſt. v. Ephemer. Acad. Nat. Cur. *Cent. X. Obſ. 95. p.* 430. De coalitione oris matricis poſt difficilem partum ſequentem obſervationem refert Guil. Fabricius Hildanus *Obſ. Chir. Cent. VI. Obſ. 57. f.* 581. Sutoris Bernenſis uxor, cum primo gravida eſſet, & conſtitutum tempus geſtationis attigiſſet, maximo cum conatu ac dolore a fœtu quidem, mortuo tamen, ſed non a dolore & periculo liberata fuit: in ſextam enim hebdomadam tantis doloribus dies noctesque excruciata fuit, ut nil ſupra. Tandem cum ad ipſam accerſitus eſſem, ori-

ficium matricis plane coalitum, & genitalia præter modum intumefacta reperi: ſub ipſo collo veſicæ maximum foramen, per quod urina guttatim exſtillabat, ad veſicam penetrabat. Cauſa hujus mali tam graviſſimi fuerat inflammatio partium genitalium, ab obſtetrice propter ſummam ſui ignorantiam neglecta, & in putridum ulcus degenerata, quod naturæ potius beneficio, quam obſtetricis artificio, ſanatum fuerat, orificio tamen uteri remanente clauſo, quod nulla arte aut induſtria chirurgica reſerari potuit: quapropter ad congreſſum cum marito inepta remanſit. Mulieri cuidam ex partus difficultate, uteri ſinu læſo, accidit, ut cum curam illius, pudore impedita, naturæ committeret, luxuriante carne, os illud cervicis uteri adeo occalluiſſet, ut ne menſtruis quidem pateret effluxus, & cicatrice ſpiſſa admodum, ſicuti poſtea ſectione poſt mortem illius, quam viva ferre nolebat, deprehendebatur, profunde admodum & penitus obliteratum fuiſſet, uti ſcribit Felix Platerus *Prax. Lib.* 1. *cap.* 17. *p. m.* 536. vid. etiam ejusdem Plateri *Obſ. Lib.* 1. *p. m.* 258. *ſeq.* In femina quadam, cui in partu difficili collum veſicæ inepte dilaceratum fuerat, vaginam uteri penitus conſolidatam deprehendit Johannes Jacobus Wepfferus, qui pro ejusdem apertura primo cultro inciſorio, ac deinde forpice ad carnem ibidem enatam vaginamque occludentem, & inſenſibilem incidendam neceſſe habuit, uti ex ipſius epiſtola refert Chriſtophorus Vœlterus *in Schol. Obſtetr. Part. II. cap.* 19. *p.* 204. Ibidem etiam ſcribit dictus Vœlterus & quidem *cap.* 18. *p.* 200. ſeipſum in femina, poſt primum partum, magnum dolorem ac læſionem ſentiente, vaginam uterinam ad labia usque ita coalitam deprehendiſſe, ut vix pennæ anſerinæ caulem, nedum digitum ipſi immittere potuerit. Item pagina ſequenti obſtetricis meminit, quæ puerperæ cuidam membranam vaginæ uterinæ unguibus ſuis acutis ea intentione dilaceraverat atque extraxerat, ut caro exinde procreſcens impediret, ne ipſius maritus eandem porro inire pluresque liberos generare poſſet, inter alia delicta confeſſa ſit,

atque

atque ob hoc & alia veneficia Tubingæ ad rogum condemnata periit. Matronæ Fionenſi 1649. in primo partu difficili ita partes pudendæ dilaceratæ fuerunt, ut non tantum tardiſſime curatæ ſint, ſed uterus ipſe prolapſus videretur commodam cum marito copulam impedire. Ad opem ferendam vocatus medicus digitum in vaginam uteri vix ultra medietatem ſecundi condyli protrudere omni conatu & dexteritate potuit, deprehendit enim, colli uteri latera omni parte concreviſſe, tamque arcte coaluiſſe, ut nec digiti apicem, nec ſubtiliorem ſtilum admitteret. Concreverant enim ægræ incuria partes exulceratæ, quas natura ante ſeparaverat. Nunquam exinde concepit, aut ſolida cum marito gaviſa eſt voluptate, omni nempe ad uterum intercluſo meatu. vid. Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. II. Hiſt.* 31. *p.* 192. Simillimum huic exemplum ante aliquot annos in femina, ſecunda vice puerpera, obſervare mihi licuit. Et quamvis hæc poſtmodum per chirurgum ſatis largam inciſionem paſſa fuerat, paulo tamen poſt iterum conſolidabatur, ut per aliquot annos nullam videret menſtruationem. In femina ex ſuppreſſis poſt puerperium lochiis uteri hydrope extincta orificium uteri in ſolidum ligamentum impervium degenerarat, referente Philippo Jacobo Hartmanno *M. N. C. Dec. II. An.* 5. *Obſ.* 67. *p.* 142. *ſeq.* Anno 1671. triginta annorum mulier, piſtoris cujusdam Harderovicenſis uxor, medicum Gerardum Blaſium & Henricum Roonhuyſen accedebat, auxilio ſuo, ſi quod adeſſet, ipſi ſuccurrere velint, ſummopere contendens. Ante annum infantem primum peperiſſe ſe referebat. Ab eo tempore latera vaginæ coalita. Quæ coalitio tanta erat, ut ſectione prima facta, etiam ad digitorum aliquot latitudinem omnia conjuncta obſervarentur. Et quandoquidem hac operatione inteſtinum rectum quodammodo læſum, non niſi poſt aliquot dies, quibus vulnus hoc inteſtini conſolidabatur, ſecundam apertionem inſtituere licebat, qua ad orificium internum introitus concedebatur, qui ope eburnei inſtrumenti apertus reſer-

Obſervatio.

reſervabatur. Antequam diſſectio prima inſtitueretur, latere dextro ſub foramine urinario exiguum ſe exhibebat orificium, per quod menſtrualis liquor nigricans exſtillabat. vid. Gerard. Blaſ. *Obſ. med. Part. II. Obſ.* 7. *p.* 40. Aliud exemplum recenſet Henr. Roonhuyſ. *Obſ.* 2. *p.* 115. *it. Obſ.* 5. *&* 6. *p.* 138. 141. Corn. Soling. *Wund-Artzeney p.* 727. item Coſmus Viardel. *Obſ. von der weiblichen Geburt Lib.* 2. *cap.* 5. *p.* 46. Quandoque etiam in partu difficili dilaceratur atque disrumpitur perinæum, ſeu interſtitium inter vulvam & anum, inque ejusdem conſolidatione ſimul hæ partes coaleſcunt, quod etiam confirmat Nicolaus Venette *de la Generat. cap.* 2. *Art.* 3. *p.* 45. L'accouchement, inquiens, eſt quelquefois accompagné d'accidens ſi facheux, que les femmes ſe fendent d'une maniere étonnante, & j'en ay vû une, dont les deux trous n'en faiſoient qu'un. Ces parties ſe déchirent d'une telle façon, & la nature en les repouſſant y envoye dant de matiere, qu'il s'y engendre plus de chair, qu'auparavant, ſi bien qu'aprés cela l'ouverture en eſt presque toute bouchée, & quand ces femmes ſont un jour en etat d'eſtre embraſſées par leur maris, elles ſont fort ſurpriſes de n'eſtre pas ouvertes comme auparavant. *Et Part. IV. cap.* 2. *p.* 590. inquit idem Venette: Les facheux accouchemens cauſent autant d'incommodités aux femmes, que font les maladies ſecretes; car, aprés que le pas a eſté dechiré en pluſieurs endroits, il y vient beaucoup d'ulceres, qui eſtant negligez ſe rempliſſent de tant de chair ſuperfluë, que le conduit de la pudeur en eſt presque tout bouché. Cette chair baveuſe devient ſolide & dure avec le temps, & ne peut eſtre flechie par la verge d'un homme, quelque forte & quelque roide qu'elle ſoit. Huc pertinet etiam coarctatio vel clauſura partium pudendarum a ſophiſticatione, ſive quando nonnullæ defloratæ feminæ ex variis ſecretiores partes ſuas medicamentis adeo arctas efficiunt, ut ne quidem mares cum illis coire poſſint, de qua materia in Muliebr. *cap. ultimo* pluribus egimus.

§. 15. Ab

§. 15.

Ab ejusmodi autem partium genitalium, imprimis omnimoda clauſura, præter urinæ & menſium ſuppreſſionem, varia oriuntur ſymptomata, ita quoque, ut nonnunquam illibatæ virgines pro defloratis habeantur. Camburgi enim virgo extitit, cui obtenſa media in uteri cervice membrana denſa & valida prohibebat, ne menſes, cum primum erumpere cœperunt, foras prorumperent, ex eo contigiſſe, ut ſuppreſſa & reflua menſtrualis materia ingentem in ventre tumorem & tenſionem faceret, cum dolorum cruciatu, quaſi ipſa parturiret: vocatæ obſtetrices his, quæ fiebant & apparebant, animadverſis, ipſam partus dolores pati una voce affirmabant, etſi ipſa conſtanter aſſereret, nunquam ſibi rem cum viro fuiſſe. Vocatus igitur medicus, qui miſellæ illi virgunculæ, extrema tres jam integras ſeptimanas cum urinæ ſuppreſſione, jugibus vigiliis & doloribus, anorexia & faſtidio, patienti ſuccurreret: Animadverſa e veſtigio parte patiente, viſum ſibi cervicis uteri orificium, denſæ membranæ objectu obſtructum, atque repentina ſanguinis in uterum uterique vaſa irruptione, exitu materiebus denegato, tumorem illum dolorificum exortum; Ea de cauſa advocato chirurgo edixiſſe, ut mediam membranam, quæ currenti ſanguini viam obſtruebat, divideret; quo facto ſanguinis concreti nigri jamque putreſcentis ad octo libras dimanaſſe, triduoque poſt omnis morbi omnisque doloris expertem virginem evaſiſſe, uti ex Wiero refert Marcus Aurelius Severinus *de efficac. medicin. Lib.* 1. *Part.* 2. *cap.* 46. *fol.* 105. Similem imprægnationis ſuſpicionem incurrebat etiam virgo, in cujus vulva tumor capitis magnitudine, ventris durities, & conatus pariendi a retentione urinæ obſervabantur, uti paulo ante ex *M. N. C. Dec. II. An.* 3. *Obſ.* 151. *p.* 296. adduximus. Puella Colonienſis, cujus ſupra ex Guil. Fabric. Hild. *Cent. III. Obſ.* 60. *fol.* 244. mentionem fecimus, ſingulis menſibus ventris torminibus maximis, lipothymia, vertigine, & nonnunquam paroxyſmis epilepticis

Clauſuræ ſymptomata.

U per

per dies aliquot mirum in modum divexabatur. Plura quoque ſymptomata in hactenus allegatis & aliis ejusmodi obſervationibus reperiuntur, quibus imprimis annumeranda, quæ ex urinæ & menſium ſuppreſſione ab autoribus recenſentur.

§. 16.

Atretæ ingravidationis ſuſpectæ.

Propter dictam autem pudendorum & abdominis ab urinæ & menſium ſuppreſſione ortam intumeſcentiam non modo virgines clauſæ vel atretæ vulgo ſæpiſſime atque, uti modo dictum, obſtetricibus ingravidationis ſuſpectæ habentur, ut adeo pro ſua defenſione magiſtratus auxilium implorare neceſſe habeant; ſed ipſæ quoque maritatæ imperforatæ, vel etiam ipſarum mariti interdum ob tale cohabitationis impedimentum in conſiſtoriis matrimonii diſſolutionem atque divortium efflagitant; quæ tamen conſiſtoria vel alii magiſtratus pro indaganda clauſuræ veritate & ſtatu medicorum, quandoque etiam obſtetricum tantum vel honeſtarum matronarum, judicium deſuper expetunt, ideoque dictarum atretarum inſpectionem inſtitui jubent. Utrum vero ſoli obſtetricum indicio hoc in paſſu fidendum ſit, præter ea, quæ Parthenolog. *cap.* 7. §. 2. *&* 5. diximus, paulo infra & capite ſequenti de Conceptione perluſtrabimus, binasque hoc loco de atretis quæſtiones ab JCtis quandoque data occaſione proponi ſolitas videbimus.

§. 17.

Qu. 1. An virginibus atretis matrimonium concedendum?

Qu. 2. An uxores imperforatæ a maritis iterum ſint ſeparandæ?

Atretis an matrimonium concedendum?

Cum primarius matrimonii ſcopus ſit, ſobolis procreatio, ad talem autem multiplicationem maris & feminæ ſive conjugum cohabitatio vel coitus debito modo, ſcilicet penis virilis in mulieris cunnum immiſſione ſeminisque injectione exercitus, ordinarie requiratur, econtra vero cum atretis ſeu imperforatis talis congreſſus ſeu initus viri in feminam, propter ipſarum partes

tes pudendas membrana vel excreſcentiam carnea conſtipatas & occluſas nullo modo celebrari poſſit, quid mirum, quod ipſis matrimonium, ſub certis tamen conditionibus prohiberi vel iterum diſſolvi ſoleat. Conditiones autem, matrimonium prohibentes, primariæ ſunt tam ratione virginum, quam uxorum, ſi plane imperforatæ vel ita occluſæ ſint, ut maris mentulam nullatenus admittere poſſint; ratione uxorum, ſi tali uxori atretæ maritus vegetus, & quoad ſanitatem optime conſtitutus, jamjam per aliquod temporis ſpatium cohabitans, eandem veretro ſuo, uti ſæpe in ejusmodi membrana tenuiori, quam vulgo hymenem appellant, fieri ſolet, omni niſu poſſibili perforare atque imprægnare non potuerit; tertio ſi ejusmodi perſonis atretis talis membrana adeo denſa vel carnoſa, item vagina poſt læſionem adeo coalita, vel etiam alio modo a prima conformatione ita occluſa ſit, ut ſine ſummo vel etiam vitæ periculo, a chirurgo diſcindi viæque ad vaginam ſufficienter expandi non poſſint.

§. 18.

Hoc confirmat Fortunatus Fidelis *de Relation. medic. Lib.* 3. *Sect.* 2. *cap.* 6. *p.* 370. ubi monſtrat, quæ inſtrumentorum generationis vitia in feminis conceptionem impediant? *p.* 370. ita ſcribens: Morboſa conceptionis inſtrumenta ſæpe fœcunditati non mediocriter officiunt. Tales ſunt, quibus aliqua ex parte pervia natura non eſt; (atretas vocant & clauſas,) aut ſi pervia quidem ſit, non ita tamen ſatis pateat, ut virile membrum admittat. Hæ enim hoc etiam nomine a conjugio arcendæ ſunt, non ſolum quod difficile concipiant, ſed etiam quod parere non poſſint, ut plerumque ad ipſam uteri cæſionem devenire neceſſe ſit. Sic Paulus Zacchias *Quæſt. med. legal. Lib.* 3. *Tit.* 1. *Quæſt.* 7. *n.* 4. *fol.* 280. inquit, coitum in femina non impediri, niſi per uteri coanguſtationem & clauſuram. Et *Lib.* 9. *Tit.* 3. *Quæſt.* 5. *n.* 2. *ſeq. fol. m.* 776. inquit: Data anguſtia non naturali ipſius uteri illico patebit, virum eſſe impotentem ad congrediendum *Autoritas.*

cum tali muliere. Et coitus impedimentum, conſideratum a Canoniſtis, in muliere ob uteri clauſuram, non ſemper eſt ob duritiem & craſſitiem ejus partis, quæ hymen dicitur; ſed aliud genus clauſuræ fit interdum, ſed rarius, ab alia quadam membrana præternaturali; quandoque etiam tale coitus impedimentum fieri poteſt a carne & coalitu labiorum, ſive parietum ipſius uteri &c. ubi plura. Item *Lib.* 9. *Tit.* 10. *Qu.* 2. *n.* 16. *fol.* 805. docet idem, clauſuram uteri non ſemper eſſe unius ejusdemque rationis, ſed variari pro cauſæ occludentis conditione, cujus reſpectu facilius aut difficilius remedia admiſſibilia ſunt, quæ in uno caſu ſunt omnino inania, in altero vero poſſunt aliquid boni operari. Impedimentum igitur factum a membrana dura & nullo foramine pervia præter urinarium, quod occluſum remanere muliere vivente non poſſet, remediis cedere non poteſt, nec ulla humana arte niſi cum vitæ periculo eſt amovibile, quia unicum remedium ex chirurgia petitum doloris acerbitatem, inflammationem, ſanguinis immodicam effuſionem ac mortem accerſere facile poteſt. Eidemque difficultati, imo impoſſibilitati amotionis, ſubjacet impedimentum proveniens a carne eadem loca muliebria obſtruente. Pari exponitur periculo amotio impedimenti provenientis ex coalitu labiorum uteri, niſi admodum levis ſit & facile ſeparabilis, quod medicis & chirurgis judicandum. Et juxta Chriſtian. Marggrav. *Prodrom. Medicin. pract. Sect. III. Tab.* 27. *pag.* 156. conceptio læditur, vel quia virile ſemen non admittit femina, idque vel quia 1) eſt imperforata ob caruncułas myrtiformes, membrana denſa junctas; aut ſupertenſa ipſis forinſecus membrana denſa, a primo ortu: his menſtrua non fluunt. Ubi vero membrana foramine anguſtiſſimo patet, conceptus fit, ſed edi nequit, vel quia 2) collum uteri exterum circa dictas carunculas valde anguſtum eſt &c.

§. 19.

Atretarum divortium. Exempla atretarum & caſus conjugum in dicaſteriis eccleſiaſticis & civilibus, ob hoc cohabitationis impedimentum, matri-

matrimonii diſſolutionem ſive divortia petentium, ut adducamus, mulieris cujusdam ideo, quod eſſet imperforata, matrimonii ſolutionem petentis, meminit Petrus Borellus *Hiſtor. med. Cent. I. Obſ.* 78. *p.* 83. Par quoque conjugum ex plebe ruſticana ſe invicem Ratisbonæ coram conſiſtorio epiſcopali, de impotentia maritali coarguentes, divortium petebant. Præſes conſiſtorialis poſt multas altercationes, ad certiorem litis deciſionem, per certas perſonas, more veteri, utrorumque conjugum inſpectionem corporalem decreverat. Qua facta culpa in uxorem recidit; hæc etenim præter naturam, licet vicennali major ætate fuerit, imperforata inventa eſt. Igitur per chirurgum ex artis lege inciſio facta; poſthinc concordes ſatis in conjugio iſti vixerunt, atque liberos progenerarunt. v. Joh. Helwig. *Obſ.* 139. *p.* 380. Item civis quidam magiſtratui eccleſiaſtico denuntians, ſe rem ſuam in novellæ uxoris rem immiſſurum non modo hanc portam nimis anguſtam & vix duos transverſos digitos amplam inveniſſe, ſed etiam ſuam mentulam conatu valentiore intruſam aliquid interius contra audentius ire audens atque ita hunc introitum ſumme dubium reddens ſenſiſſe, divortium petiit, & quod petiit obtinuit, juxta obſervationem Gabrielis Clauderi ex *M. N. C. Dec. II. An.* 3. *Obſ.* 75. *p.* 169. *ſeq.* paulo ante prolixius allegatam. Similem fere caſum refert etiam Nicolaus Venette *de la Generat. Part. IV. cap.* 2. *pag.* 586. *ſeqq.* ubi etiam de divortio prolixe agit: En effet, inquiens, toutes les cauſes, qui peuvent empêcher un homme de jouïr avec ſa femme de plaiſirs, que le mariage luy permet de prendre, ſont toutes capables de faire le divorce. Et comme les defauts dela femme ne ſont que dans ſes parties externes, la loy a permis, qu'elles fuſſent examinées par des perſonnes diſcrets & entenduës, a fin d'en faire leur rapport aux juges, qui doivent enſuite prononcer des arreſts juſtes & équitables. Un homme eſt bien ſurpris la premiere nuit de ſes nôces, quand la chaleur de ſa paſſion touchant ſa femme avec tendreſſe, il reſſent un

membre auſſi roide, que le ſien, qui luy frape le ventre. C'eſt alors qu'eſtant tout éperdu il ſort du lit, & ſi imagine ou être enſorcelé, ou qu'on a voulu le railler en luy donnant un homme pour une femme, qu'il avoit choiſie. Cependant, à la clarté d'une bougie il appercoit le viſage de ſa femme, qui l'appelle avec douceur, mais il n'y a ny careſſe ny complaiſance, qui le puiſſent tirer de l'etonnement, où il eſt, ſi ſon ame en revient un peu, ſes parties amoureuſes n'obeïſſent pas ſi toſt à ſa paſſion. Neantmoins, comme l'amour eſt un enfant, on l'appaiſe enfin, quand on le flatte. Les parties naturelles de cet homme ſentent donc une ſeconde fois les atteintes de l'amour, mais il n'a pas ſi-toſt fait une ſeconde tentative, qu'il eſt auſſi ſurpris qu'auparavant, & ce qui accroiſt encore davantage ſon etonnement c'eſt, qu'il ne peut ſe débarraſſer d'entre les bras de ſon epouſe, qui le preſſe dela poitrine à meſure que ſa paſſion augmente. C'eſt alors, qu'il ne doute plus de charmes, car dans cette occaſion, par une étrange metamorphoſe, l'homme devient comme une femme, & la femme prend la place d'un homme: ſi bien que celuy-là a ſes parties toutes fletries & toutes moletes par la ſurpriſe où il eſt encore, & celle-cy a les ſiennes toutes en feu, & eſt en eſtat de faire épreuvé de ſa vaillance. Enfin, cet homme eſtant un peu revenu à luy ſe met en dévoir d'examiner la cauſe de ſon étonnement, il n'a pas plutoſt jetté les yeux ſur les parties naturelles de ſa femme, qu'il apperçoit une verge droite & dure comme la ſienne. Il l'interroge là-deſſus. Elle luy repond avec aſſez de pudeur & de ſincerité, qu'elle croit, que toutes les femmes ſont faites comme elle, & elle luy avouera veritablement ce qu'elle en a reſſenty depuis qu'elle ſe connoit. Elle luy dit donc, que pandant l'hyver le froid exceſſif fait preſque entierement retirer ſon clitoris, & qu'en ce temps-là il ne paroiſt ny plus long, ny plus gros, que la moitié du petit doigt: mais que, déſque la chaleur de l'Eſté ſe fait ſentir, cette partie ſe groſſit & s'allonge extre-

extremement, d'où vient, ajoute-t-elle, qu'il ne faut pas s'etonner, ſi elle eſt preſentement ſi groſſe & ſi longue, puisque nous ſommes dans les plus longs jours, & dans les plus violentes chaleurs. Elle luy avouë encore, qu'elle n'a point vû de femme plus amoureuſe, qu'elle, & que, lorsque quelque perſonne luy plaiſt, ou que l'amour luy échauffe l'imagination, elle ſent que cette partie s'agite, ſe roidit, & s'endurcit méme contre ſa volonté: Qu'elle n'a jamais éprouvé avec perſonne ce qu'elle eſtoit capable de faire, mais qu'elle s'apperçoit bien maintenant par l'etonnement & par les transports qu'elle remarque en luy, que cette partie n'eſt pas ſemblable dans toutes les femmes. Le mary eſtant pleinement informé de toutes choſes, & ayant meurement deliberé ſur ce qu'il devoit faire en cette occaſion, luy propoſe de communiquer ſon deffaut à quelqu'un de ſes amis. Elle y conſent auſſitoſt, & le mary en parle inceſſament à un ſage & docte medecin, qui, pour ſatisfaire aux prieres du mary & aux l'armes de la femme, ſe met en devoir de couper cette partie, qui eſt d'une exceſſive grandeur. On la lie donc & on la laiſſe ainſi liée pendent un jour, aprés quoy il ſurvient de ſi fâcheux accidens à cauſe de cela, on n'en put faire l'exſtirpation. Deinde pergit idem autor *pag.* 589. dans un tel eſtat il eſt impoſſible, qu'un homme puiſſe caraſſer ſa femme; Et ſi cette maladie eſt incurable, comme elle l'eſt ſans doute, on doit croire, qu'un juge eſt bien fondé, quand ſur le rapport de quelques perſonnes ſavantes dans ces ſortes de matieres, il ordonne la diſſolution du mariage.

§. 20.

Huc pertinet etiam ſententia conſiſtorii Wittenbergenſis de arctis & atretis inſpiciendis & ſeparandis, quam ex Dedekennio refert Michael Bernhardus Valentini *Pandect. med. legal. Part. I. Sect.* 1. *caſ.* 14. *pag.* 42. *ſeq.* Cum nobis retuleritis, qua ratione vir juvenis N. N. penes vos cum virgine quadam matrimonium inierit, & poſtquam ad decimam ſeptimam usque *Reſponſa.*

ſepti-

ſeptimanam illi cohabitaſſet, conqueſtus fuerit, quod ad matrimonium ipſa ſit inhabilis, adeoque petierit is, ut quid jura hac in parte ſanciant, vos certiores reddamus; hinc juri conſentaneum eſſe dicimus: Quodſi prius deſponſatam N. N. per quatuor honeſtas, annoſiores, pias & expertas matronas, quæ aliis ſæpe in partu adſtiterunt, & auxilium tulerunt, juxta cum obſtetrice jurata, quatuor adhuc aliis mulieribus concivibus vetulis binisque obſtetricibus, inſpici curaveritis, illæ quoque ſe veritatem illibatam pronunciaturas eſſe juraverint, & ante dictæ octo matronæ, una cum tribus obſtetricibus, prævia inſpectione, vi juramenti præſtiti aſſeruerint & retulerint, perſonam illam ita comparatam eſſe, ut marito ejus impoſſibile ſit, coitum cum illa exercere & perficere: Quod etiam ita conſtituta ſit, ut auxilio & adminiculo humano curari non poſſit: illa quoque perſona affirmet, maritum ejus ob corporis ſui conſtitutionem ſibi cohabitare & carnaliter miſceri non potuiſſe; eo in caſu N. N. prout ſolicitat, ab ea ſibi deſponſata perſona de jure ſeparatur, & a matrimonii vinculo abſolvitur; & ſi absque periculo conſcientiæ a conjugio abſtinere non poſſet, ipſi ſimul permittitur & conceditur, ut aliud abhinc matrimonium ineat. Illi vero feminæ, quæ ad matrimonium inhabilis eſſe cenſetur, alii rurſus viro nubere neutiquam indulgetur & permittitur. Idem alio conſiſtorii Saxonici ſupremi præjudicio confirmat Benedictus Carpzovius *in Jurisprud. Conſiſtorial. Lib.* 2. *defin.* 201. *n.* 10. *fol.* 300. his verbis: Si uxor audienda divortium petens ob impotentiam mariti; cur non & vice verſa maritus licentiam novarum nuptiarum quærens, ſi cum uxore ob vitium aliquod corporis coire nequeat? vel ſaltem ex natura correlativorum, quæ eandem exigit juris diſpoſitionem, *Alexand. Lib.* 5. *Conſil.* 131. *n.* 2. Et faciunt huc verba Labeonis: quia non poteſt videri nupta, quæ virum pati non poteſt, *in l. quod pupillæ.* 30. *ff. quando dies legat.* Quodſi enim talis femina nupta non eſt, impedimento certe non poteſt eſſe matrimonium, quod revera tale non eſt,

quo

quo minus maritus ad novas accedat nuptias. Ita conſiſtorium ſupremum ad conſultationem Andreæ K. *zu* N. die 12. Januar. Anno 1629. Verba ſententiæ: *Hat eure Tochter vor 12. Jahren ſich verehliget, und biſshero keine Leibes-Frucht zur Welt gebracht, darüber zwiſchen beyden Eheleuten groſſer Zanck, an welchem Theil der Mangel ſeyn möge, ſonderlich bey eurer Tochter erfolget, den zu verhüten ihr fleiſsige Nachforſchung gehabt, und nach vorhergehender Beſichtigung durch zweyer geſchworner Wehe-Mütter allhier gethane Auſſage ſo viel in Erfahrung gebracht, wie es mit eurer Tochter von Mutterleibe an alſo beſchaffen, daſs ſie keines Mannes ſchuldig werden, noch Kinder zur Welt gebähren, ihr auch ohne höchſte Leibes-Gefahr weder gerathen noch geholffen werden könte &c. Wofern nun euer Eydamb ſich länger nicht gedülden, noch mit unverletzten Gewiſſen auſſer dem Eheſtande leben könte, ſo wäre bey ſeiner geiſtlichen Obrigkeit die Eheſonderung zu ſuchen, ihme unbenommen &c.*

§. 21.

Cauti tamen atque circumſpecti ſint medici ad ejusmodi atretarum inſpectionem atque relationem requiſiti, beneque conſiderent, an in his perſonis revera occurrat cohabitationis impedimentum ſufficiens, an a magna clitoride & cauda, vel ab alia excreſcentia carnea uteri vagina obſtipetur, vel an a membrana integra & imperforata vel perforata occludatur; an talis membrana ſit tenuis vel craſſa; an hermaphroditismus vel etiam ſophiſticatio ſive artificialis clauſura ſubſit; item an tale vitium medicabile ſit an incurabile? de quibus ſane nec obſtetrices, nec matronæ judicium ferre poſſunt. Imo non tantum feminarum clauſura earumque membranæ aliæque obſtructionis cauſæ bene rimandæ videntur, ſed maritorum quoque valetudo, ætas, item partium genitalium ſtatus & coeundi talesque membranas præternaturales disrumpendi potentia conſiderari deberent; ſiquidem ſæpiſſime ejusmodi perſonæ velatæ, atque pro vere imperforatis adque conceptionem ineptis judicatæ, *Inſpectio medicorum.*

X poſt

poſt conjugium prohibitum vel iterum diſſolutum, poſtmodum nihilominus concipiendo & pariendo contrarium demonſtrarunt, uti ex ſequentibus autoribus & exemplis probatur.

§. 22.

Exempla atretarum concipientium. Inquit ſcilicet Johannes Riolanus, filius, *Enchirid. anat. Lib.*2. *cap.*37. *p.*184. Orificium externum naturaliter clauſum in labiis deprehenditur. Id in puellis recens editis frequenter accidit; ſæpius in nymphis clauſura hæc apparet, vel loco caruncularum hymen imperforatus & carnoſus occurrit. Nonnunquam poſt difficilem partum partes iſtæ dilaceratæ cohærent. Coalitus iſte naturalis in puellis ſeparandus, in mulieribus per accidens exortus etiam ſeparandus. Vidi, non obſtante coalitu, mulieres quasdam concepiſſe, remanente foramine ad ingreſſum ſeminis, quod famelicus uterus violenter rapuerat, inſtante partu, ex magna humiditate eo confluente, ſponte recludi iſtum coalitum. Et *Anthropograph. Lib.*2. *cap.*35. *fol.*197. inquit idem Autor: Quamvis nulla fiat generatio ſine penis intromiſſione, ex Galeni judicio omniumque medicorum conſenſu, nuper tamen vidimus Pariſiis mulierem, quæ ex laborioſo & difficili partu laceratas habuerat partes genitales, cujus nymphæ & quatuor carunculæ tam arcte coaluerant, ut vix ſpecilli cuſpidem foramen admitteret: nihilominus decimo quarto abhinc anno concepiſſe. Cum inſtaret partus, introducto ſpeculo matricis foramen dilatatum fuit in eam amplitudinem, quæ ad egreſſum fœtus neceſſaria erat, ſicque fœtum perfectum emiſit mulier incolumis & ſuperſtes. Exemplum ſimile viſum fuerat Pariſiis 1609. pergit ibidem Riolanus: Mulier imperforata impotentiæ & frigiditatis accuſat maritum coram judice, quod non ab eo quicquam paſſa fuiſſet; cum utriusque partes inſpicerentur, mulier inventa fuit gravida. Refertur etiam in Francia olim impraegnatam fuiſſe quandam, cujus virginitatis clauſtra omnia firma atque illæſa manſerant, adeoque imprægnatam eſſe virginem non deſiiſſe. Cum aurifaber quidam

Pariſiis

Pariſiis honeſtam puellam duxiſſet, ſibique in congreſſu liber aditus ad illam non daretur, quin etiam illa in ingreſſu de dolore, & quod difficulter maritum admittere poſſet, conquereretur, poſt menſes aliquot, etſi illa ſe gravidam eſſe ſuſpicaretur, de divortio tamen maritus cogitare cœpit. Cum autem ideo collegium medicorum & chirurgorum convocaretur, inſpectis muliebribus, collum matricis mediante membrana dura atque calloſa clauſum reperierunt, ſed, quod ſummopere notandum, membrana illa hinc inde parvis exiguisque foraminulis ad menſes expurgandos perforata fuerat. Communi itaque conſenſu hancce membranam dicti chirurgi inciderunt. Sic brevi ita reſtituta fuerat, ut de divortio non amplius loqueretur maritus. Poſt ſex menſes autem ab inciſione facta infantem ſanum ac maturum progenuit; vid. Guil. Fabric. Hild. *Obſ. Chir. Cent. III. Obſ. 60. fol. 244. ſeq.* Hanc obſervationem annotavit Michael Pauli *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 83. p. 146.* Gregarii cujusdam militis uxor parturiens præcluſo pudendorum aditu ab obſtetrice reperta, mortique ob id proxima habebatur. Tandem ego cum chirurgo in conſilium vocatus, ab eoque vulvam ſcrutante, ne minimi digiti apicem admittere, audiens, ipſeque membroſam illam ab interna vaginæ tunica expanſionem, hymen dictam, vere carnoſam perſpiciens, maritum de prævia concubitus actione percontando, nunquam in vagina, vel ſacro conclavi, ſed intra labia, vel ante oſtium conjugalia feſta ſe celebraſſe, nec Hannibalem portas has perfringere valuiſſe, perſuaſum habebam. Sed quid conſilii parituræ? rem ferro tentare, inſtante partu, haud conſultum ratus, hanc fidenti omnipotentiæ divinæ animo, labores etiam Herculeos ſuſtinere, fauſtumque enixum certo ſperare jubeo. Dictum, factum, auſpicatiſſimo quippe omnium voto natus violento & cum audito fracti inſtar fictilis ſono, ex utero egreſſu, parenti ſuo ad veneris thalamum regiam quaſi viam aperuit, matremque aliis conjugibus ſimilem reddidit. Exemplum vaginæ uteri, tempore partus, membrana

præternaturali pone hymenem clauſæ recenſet Fredericus Ruyſchius *Obſ.* 22. *p.* 27. in Foſſa Principis, inquiens, tabacum vendebat Jan Pieterſz, cujus uxor in partu verſans fœtum in lucem edere non potuit, quantumvis conatus & labores partus eſſent adeo vehementes, ut clamoribus ejus transeuntes in dicta foſſa detinerentur. Tandem me vocari juſſerunt huic operi admotæ duæ obſtetrices, jamjam enim videbatur moritura miſera illa patiens. Explorata difficultatis partus cauſſa, inveni membranam hymenem eſſe integram, valde craſſam & a fœtus capite, exitum quærente, foras extenſam. Hoc viſo, incidendam eſſe dictam membranam judicavi. Hac facta inciſione fruſtra fœtus excluſionem expectavimus, propter alteram præternaturalem membranam, craſſam, vulvam profundius claudentem, fœtusque exitum impedientem. Hac obſervata membrana ſpem in anguſto eſſe judicavimus: ne tamen ſimul cum fœtu periret mater, hujus inciſionem quoque moliti ſumus. Quid fit? illico operatione peracta, in lucem editur fœtus vivus, ejulatibus vires ſatis robuſtas prodens &c. Puella quædam, uti paulo ante circa eroſionem diximus, octo circiter annorum, cum ſeſe ut calefaceret, carbonibus in olla contentis inſideret, obdormiens perfracto fictili, in carbones incidit, & totam perinæi, vulvæ & pubis regionem combuſſit. Vocatus verboſus chirurgus adeo negligenter eam curavit, ut integra vulvæ labia firma cicatrice ſibi conjungi, & relictis tantum duobus foraminulis, uno infra os pubis, altero prope anum, in perinæo coaleſcere permiſerit. Puella taliter conſtituta ad pubertatem pervenit, & cum, tum ob hæreditariam levitatem veneris œſtro non parum ſtimularetur, tum ob elegantem formam, a procis non paucis ſollicitaretur, tandem ab uno per contactum absque membri intromiſſione ingravidata fuit, cumque partus adeſſet tempus, doloresque biduo jam toto vehementer urgerent, dempta omnimoda ſpe felicis partus, de ſectione & apertione vulvæ conſultum fuit, quam etiam chirurgus feliciter peregit, & paulo poſt ſumma vi

pro-

prolemſat robuſtam enixa eſt, non per recens aptatam & ſectam vulvam, ſed per foramen ano proximum &c. juxta obſervationem Pauli de Sorbait *M. N. C. Dec. I. An.* 3. *Obſ.* 273. *pag.* 486. Puella Romana, a primo ortu clauſa, niſi quod exiguum eſſet foramen vix piſum capiens, pro urinæ ac menſtruorum egreſſu, aſſiduis amaſii precibus commota ipſius libidini nimium dedit, rata nullum conceptionis periculum futurum, quippe cujus vulvæ labia a nativitate conjuncta & unita penem non admittebant: Cæterum fricationis hujus debitas dedit pœnas, ex ipſo præter ſpem gravida facta. Quinto a conceptu menſe tumentem puellæ ventrem advertens mater chirurgi manu unita vulvæ labia ſectione dirimi curat, teſte Henrico a Moinichen *Obſ.*13. *p. m.* 49. *ſeq.* Meminit etiam Isbrandus de Diemerbr. *Anat. Lib.* 1. *cap.* 23. *fol. m.* 126. ſe anno 1637. cum Noviomagi poliater eſſet, vocatum fuiſſe ad mulierem quandam, haud infimæ ſortis parturientem, de qua obſtetrix referebat, quod valida transverſa membrana, in medio exili foramine perforata, ad ingreſſum vaginæ extenſa eſſet, tantam firmitudinem habens, ut digitis ab ea dilacerari nequiret: hæc penitus impediebat, quo minus obſtetrix digitum ullo modo immittere poſſet: & quia mariti penem adhuc multo minus recipere potuerat, mirabantur omnes, quomodo illa imprægnari potuiſſet. Sed confitebatur maritus, ſe multoties tentaſſe, anne per illud obſtaculum rigido ſuo ariete perrumpere poſſet, ſed nunquam penetrare potuiſſe, aut interiora ſubiiſſe: interim tamen in iſta lucta ipſi multoties ſemen effluxiſſe, & contra membranam iſtam ejaculatum fuiſſe. Conſilium dedit Diemerbroccius de membrana iſta reſcindenda ſicque dilatanda, ſed cum præ pudore chirurgum admittere nollet, ipſi inter graviſſimos partus labores, ob exitum fœtui denegatum, miſere una cum fœtu moriendum fuit, propterea quod nullis rationibus aut verborum blandimentis ad illam operationem chirurgicam admittendam induci poſſet.

§. 23.

Alia exempla. Chriſtiano Franciſco Paullini Euſebius Hieronymus Fellmann Panormo ſcripſit, ſe noviſſe puellam ſexdecim annorum, eximiæ formæ, cui ob genitalia, a natali clauſa, menſes & urina ordinarie, modo ſolitarie, modo cum cæteris fæcibus per alvum ſine moleſtia fluebant. Cumque ad matrimonium inepta videretur, in cœnobium deducere volebant parentes, quam eremum tamen illa declinavit. Interim neſcio a quo jurium perito amata & vitiata ſit, ſemine virili tantum extra pudendum virgineum aſperſo, & aura ſpirituoſiori attracta. Gratæ hæ titillationes crebriorem fecere admiſſionem. Tandem bonæ puellæ venter intumuit, ipſaque ab omnibus renunciatur prægnans. Rogata rigoroſius acta & facta parenti recenſuit; qui vero hoc modo puellam imprægnaſſe (imprægnatam fuiſſe) pro impoſſibili habuit. Interea ob calorem inordinatum pruritumque periodicum, quem circa vulvam ipſa ſenſerat, lacte aſinino clauſtrum ſuum frequentius lavit fovitque. Quod laxatum ſponte tandem noctu in ſomno disruptum hiatum fecit ſat amplum, & exodum tandem ſuo tempore præbuit infanti. *vid. M. N. C. Dec. II. An.* 7. *App. p.* 160. *ſeq.* Virginem quandam, cujus orificium uteri externum totum fere membrana ſpiſſa & firma admodum conſtipabatur, ut deflorari a marito non valeret, hinc chirurgia indigebat, quarto ab inciſione menſe puellam peperiſſe ex Guillemeau refert Johannes Bohnius *Circul. anat. phyſiol. Progymn.* 1. *p.* 7. Feminæ cujusdam orificium uteri externum non membrana, ſed firma carne ita erat coalitum, ut tantum foraminulum, vix frameam admittens, pro excernendis menſibus ſupereſſet; hinc etiam ad conceptionem inepta judicaretur; quæ tamen nihilominus veneris œſtro percita concipiebat. Partus vero tempore inſtante infanti, per inciſionem iſtius ſubſtantiæ carneæ, quæ hactenus verum concubitum impediverat, & quidem ad tres circiter digitos latos factam, via ad egreſſum pandebatur, vid. Steph. Blancard. *Collect. med. phyſ.*

Cent.

Cent. III. Obſ. 56. *p. m.* 428. Simile exemplum annotavit autor Gallicus, de la Morandiere, de femina, quam vir a ſeptennio conjugatus inire non potuerat, & quidem ob orificium externum vulvæ obturatum a carne ſolida eaque naturali, pertuſa tamen in medio ad menſtruorum effluxum, vix tamen ſtyli cujuspiam vulgaris capaci. Licet autem hæc femina, conſtituta a judice per chirurgos & matronas exploratione, hac de cauſa generationi inhabilis judicata ac viduitati mancipata fuerit, libidinis tamen ſtimulis urgentibus eadem concepit, actu quanquam venereo imperfecto; poſteaque tempore partus adveniente, inciſione carnis, vaginæ introitum obſidentis, exitus orificio infanti procuratus fuit. vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. Medic. Gallic. An.* 1. *Menſ. Novembr. Obſ.* 6. *p.* 173. Franciſcus Mauriceau *dans les Obſervat. ſur la Groſſeſſe & l'Accouchem. des femmes Obſ.* 489. *p.* 287. ſcribit: Le 20. Juin 1687. j'ay vû une femme agée de trente-cinq ans, qui eſtoit en travail de ſon premier enfant, depuis vint-quatre heures, que ſes eaux eſtoient ecoulées. Cette difficultez eſtoit encore augmentée par ſon hymen, qui me parut tout entier à l'entrée du col dela matrice, & ſi peu perforé, qu'on ne pouvoit pas y introduire ſeulement l'extremité du petit doigt &c. Et *Obſ.* 583. *p.* 341. juvenis feminæ pariter gravidæ mentionem fecit, cujus tamen membrana ſeu clauſtrum virginale non niſi parvo foramine ad magnitudinem caulis pennæ apertum erat, per quam aperturam dicta femina ſine membri virilis introductione conceperat. Item de femina non perforata, gravida tamen, *vid. Obſ.* 495. *p.* 290. Ante quadraginta & *Obſervatio.* quod excurrit annos, cum adhuc Lipſiæ ſtudiis incumbebam, me conveniebat obſtetrix quædam pagana, non inexperta ſatisque exercita, caſum peculiarem referens, ſe ſcilicet quandam ruſticam, quæ ante quinque annos marito nupſerat, hactenus ſterilem, ex variis ſignis & infantis motu in utero pro gravida habere, quod tamen ſibi ideo impoſſibile videretur, quia ipſius partes pudendæ membrana craſſa usque ad foramen, vix minimi

digiti

digiti apicem admittens, occluſæ eſſent, ut ipſam hactenus maritus ingredi nondum potuerit: Ideo non modo, an talis imprægnatio, rebus ſic ſtantibus, poſſibilis ſit, ſed etiam qualem opem huic gravidæ inſtante partu ferre poſſit & debeat, ſententiam & conſilium meum expetebat. Ego proinde poſſibilitatem conceptionis atretarum affirmans membranam fœtui portam occludentem per inſtrumenta ante partum eſſe incidendam dico, ipſique ſtilum cannulatum cum duobus cultris, alterum curvum, alterum rectum pro hoc ſcopo exhibeo; quæ inſtrumenta poſt aliquot ſeptimanas dicta obſtetrix cum gratiarum actione reddere equidem mihi volebat, ad petitum tamen a me dono accipiebat, ut iisdem in ejusmodi caſu rariſſimo iterum uti poſſet, quæ ipſa quoque ſumme lætabunda tanquam theſaurum accipiebat. Ipſam autem operationem ſeu membranæ inciſionem dicta obſtetrix non diu ante partum, uti ipſi ſuaſeram, exercuerat, quia hanc membranam per balnea & inunctiones, a ſe applicatas, ad majorem aperturam usque emollire, uti ſperaverat, non potuerat. Cum vero maximi ad excludendum fœtum labores per aliquot horas absque ullo ſucceſſu duraſſent, tunc ſe inciſionem, a foramine incipiendo feliciter peregiſſe, pauloque poſt infantem extraxiſſe, referebat dicta obſtetrix, quæ quidem ordinarie hoc munere non fungebatur, ſed opilionis in pago quodam, duo millaria a Lipſia diſtante, Tzſchitzſchen nominato, uxor erat, ſæpiſſime tamen ob ſuam in arte obſtetricaria ſcientiam non modo in pagos propinquos & remotos, ſed etiam in civitates, item ad aulas Principum equo & curru vecta in conſilium & auxilium requirebatur. Hæc poſtmodum obſtetrix dictæ puerperæ virum, meo juſſu, ad me mittebat, qui a me examinatus ruſticus, qua ratione uxori ſuæ cohabitaſſet, reſpondebat, ſe hactenus omnes virgines, ita uti uxorem ſuam offenderit, arctasque taliterque conſtitutas eſſe, ſancta ſimplicitate crediſiſſe, hinc poſt ſæpius reiteratum, fruſtraneum tamen congreſſum, demum tempore quodam cum uxore poſt ſaltationes

nes a nuptiis domum reverſum, cum eadem rem, quantum licuerit, habuiſſe, atque licet ipſi nunquam alio modo cohabitare aut rem in rem immittere potuerit, tunc temporis tamen catapultam rimulæ uxoris, ad ultimam usque ſeminis profuſionem, admotam tenuiſſe; ex quo tempore uxor male ſe habuiſſet, variaque ſymptomata gravidis alias conſueta perſenſiſſet.

§. 24.

Quamvis etiam tales atretæ & anguſtæ ab obſtetricibus & ipſis interdum medicis ad conceptionem ineptæ judicatæ, ideoque etiam a matrimonio vel impeditæ vel iterum ſeparatæ fuerint, nihilominus tamen tales anguſtæ & atretæ quandoque ratione conceptionis contrarium demonſtraſſe leguntur; quale exemplum Joh. Bohnius *de offic. mediç. dupl. Part. II. cap. 3. p.* 568. ex Corpore Canonico narrat de femina quadam, quæ viro cuidam matrimonialiter nupſerat, ab hoc autem intra multos annos cognoſci non potuerit, hinc inſpectioni matronarum honeſtarum ac prudentum fuerit commiſſa, quæ eam ad viriles amplexus inidoneam judicabant; ad quam relationem quoque divortium inter conjuges hos ab epiſcopo celebrabatur: Quibus non obſtantibus eadem mulier alium poſtmodum invenerit virum, qui ſeras has reſerabat, & cui præternubebat. Cui ſimile, pergit Bohnius, referunt acta Conſiſtorii noſtri eccleſiaſtici, virginem, Margaretham Brinrothin, quam prior ejus maritus inire non poterat, ideo & ad requiſitionem nominati fori ab obſtetrice per inſtrumentum certum ejus canalis femineus exploratus, illaque ad conjugium inhabilis pronunciata fuerat, hinc a magiſtratu matrimonium reſciſſum: ab alio nihilominus juvene prompte ſubactam & imprægnatam fuiſſe. Non autem ſolummodo ab obſtetrice, ſed ſimul quoque a medico tale judicium relatum fuiſſe, apparet ex Pauli Ammanni *Irenic. p.* 153. ubi ſecundum verba Germanica ita ſonat: *Auf beſchehene* Requiſition *des Chur- und Fürſtl.* Conſiſtorii *allhier habe ich zu End Unterſchriebener, heute dato, Margaretha Brinrothin, Joachim Wa-*

Exempla ſeparatarum concipientium.

genzincks Eheweib, mit Zuziehung Marien Eybnerin, geſchwornen Kinder-Mutter allhier, beſichtiget und befunden, daß ſie eine ſtarcke anguſtiam & clauſuram uteri *hat, welche verurſachet, daß ihr Ehemann ihrem eigenen Geſtändniß nach, ihr niemahls habe beywohnen, und zu ihr kommen können; und ob ich zwar durch oberwehnte Kinder-Mutter, vermittelſt eines hierzu dienlichen* Inſtruments, *den natürlichen Weg zu einer Frauen* explor*iren und erforſchen laſſen, ſo hat doch das arme Weib ſolchen Verſuch nicht ertragen können &c. Leipzig.* vid. etiam *Reſponſa Facult. Med. Lipſienſ.* a Johanne Friderico Zittmanno edita, *Cent. IV. Caſ.* 39. *p.* 906. *ſeq.* ubi ſequentia annexa leguntur: Hic caſus ab erudito medico eſt conceptus, ſed eventus fuit contrarius. Nam Conſiſtorium hoc nixum fundamento matrimonii reſciſſionem ſuſcipit, relicta libertate marito accedendi ad vota ſecunda, adjecta vero pœna, ſi Margaretha illa iterum matrimonii vinculo ſeſe adſtringeret, propter ingens ſcandalum, quia fuit inepta reputata a Conſiſtorio, juxta medici deciſum. Sed 1685. bene quadratus ac nervoſus juvenis eam unico coitu, non intervallato, ſine dolore, cognoſcit & imprægnat, menſe Julio 1685. Quo facto Superintendens hoc notum facit Conſiſtorio. Citantur M. & novus caſtelli virginitatis deſtructor; ad quæſita reſpondent, an unico coitu prægnans fuerit reddita? illa affirmat; an ſine dolore inſigni? pariter. Cur hoc fecerit? quia fuit 1683. inhabilis ad matrimonium declarata. Reſp. ſe non fuiſſe inhabilem, licet a medico ita fuerit reputata. Hinc credo illo tempore, quo a medico fuit viſitata, fuiſſe illam adhuc virginem, & priorem mariti penem non obtinuiſſe tunc rigidum, quem jam attrivit in primo matrimonio. Ergo male fuit medicus argumentatus ab anguſtia ad clauſuram, quæ in Margaretha non adfuit &c. Huc pertinet etiam obſervatio de virgine ad conjugium inhabili judicata, gravida tamen, quam Vitus Riedlinus *Linear. med. An.* 5. *Octobr. Obſ.* 15. *p.* 1092. *ſeqq.* recenſet: Contigit, quod ruſticus quidam ad Conſiſtorium detulit uxorem ſuam, quod cum ipſa ob

vulvæ

vulvæ anguſtiam rem hactenus non habuerit, nec etiam habere poſſit, utque propterea divortium fieret, inſtanter petiit. Jubent propterea, qui huic judicio præſunt, ut medicus ordinarius virum, obſtetrices vero ad id conſtitutæ eam, quam duxerat, propius inſpiciant, ſuamque de iisdem mentem detegant; ubi medicus virum ad conjugium aptiſſimum invenit, ab obſtetricibus vero certior fit, feminam tam arctum habere vulvæ orificium, ut in illud nec minimo quidem digito penetrare potuerint, & hinc virginem adhuc eſſe; nec ſperandum, quod unquam cum quopiam coire poſſit; ſeduloque interrogante medico, num revera ſic ſe habeat? jurato hoc conſtanter teſtatæ fuerunt. Quod cum eodem modo in teſtimonio ſuo retuliſſet, judices conjugium nondum conſummatum eo facilius diremerunt, viroque aliam ducendi licentiam conceſſerunt, feminæ vero tanquam inhabili conjugio interdixerunt; quod ſine dubio ſecum riſit, jam enim tam ex furtivis amoribus conceperat, quod edito poſt trimeſtre fœtu ſufficienter innotuit; nec is, qui eam accuſaverat, interea cum alia connubium minus fœcundum inierat; hincque res hæc denuo ad judices delata ipſis non parum negotii fecit &c. Econtra Pariſiis mulier imperforata maritum coram judice impotentiæ & frigiditatis accuſavit, cum tamen iſta mulier, cum utriusque partes diligenter conſpicerentur, inventa fuerit gravida, vid. Joh. Riolan. *Anthropol. Lib. 2. cap. 35. f.* 197. uti paulo ante jam adduxi.

§. 25.

Circa modum conceptionis atretarum ex antecedentibus repetendum, quibusdam ingreſſum in uteri vaginam totaliter, nonnullis vero tantum partialiter occluſum eſſe, ita ut in illis propter labiorum vulvæ vel ipſius vaginæ coalitum & obſtructionem plane nihil ad uterum pervenire poſſit, in his vero aliquales adhuc aperturæ vel foramina, majoris vel minoris magnitudinis, quandoque vix aciculam & ſtilum, interdum etiam caulem calami ſcriptorii & digiti apicem admittentia reperiantur. *Conceptionis modus. an per attractionem?*

Sicuti proinde in quibusdam virginibus anguſtis membrana cunnum occludens hic vel illic aperturam vel foramen habet, quandoque etiam aliquot foraminulis pertuſa eſt, ita ut urinæ & fluxu menſtruo aliisque humoribus liberum concedat effluxum, ita etiam per easdem aperturas, licet foramen non ſit adeo magnum, imprægnationem & quidem per attractionem ſeminis fieri poſſe, tam veteres quam recentiores concedunt autores, imprimis illi, qui ad conceptionem utriusque ſeminis commixtionem præſupponunt. De hac attractione ſcribit Hieronymus Fabricius ab Aquapend. *de Operat. Chir. Part. I. cap.* 81. *p.* 305. ubi refert, a ſacerdote quodam ſibi propoſitum fuiſſe quæſitum: num ſit poſſibile feminam concipere absque coitu & ingreſſu colis in vulvam? propterea quod ipſe acceperat ab adoleſcentibus, femina & mare, quod cum amore capti eſſent & ſimul in loco ſolitario conveniſſent, dum ſe oſculis & illecebris blanditiis ita ſtantes amplexarentur, femina permiſit colem maris ad vulvæ orificium vix pertingere, ille vero tentigine flagrans ſemen ad vulvæ orificium invitus ejecit & gravida facta virgo eſt ſine concubitu: quem poterat uterque fateri, ſi ſecutus eſſet, cum gravidam eam eſſe conſtaret; ſed ambo aſſeverarunt, penem in vulvam nequaquam penetraſſe. Ego dixi, poſſibile fuiſſe caſum conceptionis, propterea quod cum ambo eſſent adoleſcentes & tentigine ambo arderent, potuit glandis orificium hymenis foramini e directo opponi & conjungi, & ita ſemen a mare vi magna emiſſum potuit per hymenis orificium in vulvam ingredi; inde vero a valentiſſima uteri vi attractrice per vulvæ vaginam ſurſum trahi & in uterum recondi, & ita femina concipere. Nam vulvam pollere vi inſigni attractrice, teſtis eſt Plato. Johannes Riolanus *Enchirid. Anat. & Pathol. Lib.* 2. *cap.* 37. *p.* 184. inquit, ſe vidiſſe, non obſtante coalitu, mulieres concepiſſe, remanente foramine ad ingreſſum ſeminis, quod famelicus uterus violenter rapuerat. Et *Anthropolog. Lib.* 2. *cap.* 35. *fol.* 197. inquit idem Riolanus: Quamvis nulla fiat generatio ſine

penis

penis intromiſſione ex Galeni judicio, omniumque medicorum conſenſu, nuper tamen vidimus Pariſiis mulierem, quæ ex laborioſo & difficili partu laceratas habuerat partes genitales, cujus nymphæ & quatuor carunculæ tam arcte coaluerant; ut vix ſpecilli cuſpidem foramen admitteret; nihilominus decimo quarto abhinc anno concepiſſe. Intra pudendi labra effuſum ſemen uterus hujus pabuli avidiſſimus attraxit, quemadmodum e profundis cuniculis cervus ſerpentes narium inſpiratu allicit &c. Tantam in coitu matrici aviditatem attrahendi, ut etiam ſperma per exigua foraminula attrahat, adſcribit Guilielmus Fabricius Hild. *Cent. III. Obſ.* 60. *Op. fol.* 245. Juxta G. W. Wedel. *Phyſiol. Sect. III. cap.* 28. utero denegari vis quædam attractiva non poteſt, quæ in coeuntium orificio uteri erecto manifeſte percipi poteſt & perſentiſci. Hanc ſeminis attractionem etiam per membranam fieri poſſe putant nonnulli; inquit etiam Paulus Zacchias *Quæſt. Med. Leg. Lib.* 3. *Tit.* 1. *Qu.* 7. *n.* 26. *fol. m.* 282. quomodo atretarum conceptio fieri poſſit, cum meatum obturatum habeant, non ita in propatulo eſt. Volunt nonnulli, ob validam uteri attractionem fieri poſſe, ut ſemen per panniculum illum, quaſi transcolatum ad uteri fundum perveniat, ibique ex eo conceptus fiat. vid. etiam *Lib.* 4. *Tit.* 2. *Qu.* 1. *n.* 28. *ſeq f.* 377. *item Tom. III. Conſil.* 42. *n.* 2 *ſeq. f.* 76. *ſeq.* Et Johannes Benedictus Sinibaldus *Geneanthrop. Lib.* 4. *Tr.* 2. *cap.* 3. *pag.* 457. circa quæſtionem: an & qua ratione, flore virgineo incorrupto, mulier aliquando concipere valeat? talem conceptionem a vi uteri tractrice valida erga virile ſemen & a vi magnetica utriusque ſeminis, virilis videlicet & muliebris, dependere ait, atque nihil difficile eſſe rem perſuadere, ſiquidem pudendi muliebris oſtio vix penetrato, ita ut ad ſinum pudoris virga non pertingat, factaque virilis ſeminis effuſione ad os uteri externum, uteri aviditas poſſet per poros in roris formam ſemen exſugere.

§. 26.

Attractio non in omni clauſura.

Hanc tamen ſeminis ab utero attractionem ſive ſuctionem alii veterum & recentiorum autorum non in quavis matricis clauſura concedunt, ſed illa tantum, in quibus membrana uteri vaginam occludens pro ſeminis tranſitu foramen unicum, vel plura minora habeat, vel ſi ſit raræ, tenuiſſimæ atque penetrabilis texturæ; uti ſcribit Avicenna *Lib.* 3. *Fen.* 21. *Tr.* 4. *cap.* 1. *fol. m.* 403. quandoque, inquiens, accidit, ut clauſa retineat per accidens conceptionem, quare moritur ipſa, & fœtus ejus procul dubio, ſi non regitur. Et hoc quidem non eſt poſſibile, niſi aliquo modorum, aut ut ſit illud, quod opponitur, ori matricis de clauſura raræ texturæ: aut ſit habens foramina plura, ita quod poſſibile ſit matrici attrahere de ſpermate aliquid, licet enim parum ſit, tamen ex illo parvo fit conceptio. Et Paulus Zacchias *l. a.* hanc ſeminis per panniculum illum transcolationem difficulter admittit, quia panniculus ille interdum adeo craſſus eſt, ut id impoſſibile ſit tam de facili ſuccedere; Et Joannes Hucherus conceptum in his tantum fieri voluit, in quibus anguſtius quoddam foramen in panniculi medio apparet, ingreſſum ſemini virili præbens, quod tamen ad fœtus excluſionem non ſufficeret. Hoc proinde modo mulieres penitus imperforatæ, ſive in quarum membrana, cunnum obſtruente, neque majora neque minora deprehenduntur foramina, neque ejusdem textura rara eſt nec permeabilis, per attractionem vel ſuctionem ſeminis ante membranam projecti, concipere non poſſunt; cum econtra foramen etiam minimum in tali membrana vel etiam coalitu disruptæ vaginæ relictum ad conceptionem ſufficiens ſit, uti paulo ante in muliere Pariſienſi, cui ex partu difficili dilaceratæ partes genitales adeo arcte coaluerant, ut vix ſpecilli cuſpidem admitteret, nihilominus tamen iterum conciperet, ex Joann. Riolan. *Anthropol. Lib.* 11. *cap.* 35. *fol.* 197. adduximus; quanquam etiam atretas ſeu imperforatas, quibus membrana integra fuit valdeque craſſa, concepiſſe atque poſt inciſionem vel curam

peperiſſe

peperiſſe, hactenus videremus. vid. Frid. Ruyſch. *Obſ.* 22. *pag.* 27. De puella ſedecim annorum, cui genitalia a natali ita fuere clauſa, ut menſes & urina ordinarie, modo ſolitarie, modo cum cæteris fæcibus, per alvum fluerent, gravida & pariente, *vid. M. N. C. Dec. II. Ann.* 7. *App.* 160. *ſeq.* Utrum autem in his exemplis ſemen virile materialiter per minutisſimos porulos, viſum fugientes, ab utero attrahi potuerit, vel annon ſecundum autores recentiores, qui craſſamentum ſeminis ab opere generationis penitus excludunt, tantum pars ſeminis ſpirituoſa ſeu halitus ſeminales ovulum in ovario impraegnarint, (de qua materia in ſequentibus agemus,) cuilibet judicandum relinquo; quam ſententiam etiam jamdum fovit Johannes Benedictus Sinibaldus *Geneanthrop. Lib.* 1. *Tract.* 3. *cap.* 8. *p.* 66. inquiens: Aſſeverandum, conceptionem apud atretas fieri a ſpiritibus tantummodo in ſemine, & a ſemine micantibus, quibus nimirum nihil reſiſtit, omnia patent & craſſa etiam membrana eſt pervia; nam vero verius eſt, quod ſpiritus ea, qua eſt natura ignea, ad omnia accedit, omnia movet, cuncta vivificat, omnem ſubit cavitatem, membra univerſa penetrat. Addo inſuper, quod, dum in venereo pruritu ac genitali voluptate pudendum atteritur, veriſimile eſt, membranam etiam illam rarefieri quodammodo ac dilatari, adeo ut nullo labore fervidi ſeminis ſpiritus pervadere eandem valeant. Et *Lib.* 4. *Tr.* 1. *cap.* 3. *p.* 457. inquit idem: Spiritus generationis architecti puri, fervidi & impetuoſi, nulla membrana, nulla anguſtia obſtite ad uterum permeare levi negotio poterunt, ibique in ſanguine convenientem fermentationem excitare. Nihil profecto eſt ſpiritibus impervium, ſpiritibus præſertim venereis, qui dum pruriunt, dum fervent, dum æſtuant, dum furiunt, penetralia quæque ſubire poterunt, ſit licet in partibus quæcunque denſitas, inſignis durities ſummaque craſſities.

§. 27.

Orificii interni clauſura.

Quantum denique interius uteri orificium attinet, in quod ſupra pariter clauſuram fieri diximus, ſciendum, quod hoc orificium

cium quandoque penitus occludatur,& quidem juxta Joh. Wier. *Obſ. Lib.* 1. *p.* 935. vel membrana nervoſa craſſa dura, vel innata carne pauca vel multa; interdum etiam penitus coaleſcat, ut ne ſtilus quidem immitti poſſit; quamvis autem tales feminæ per hoc vitium a coitu non impediantur, uti aliæ atretæ, quippe quæ nihilominus concipere poſſunt, hæ tamen ſteriles utplurimum & infœcundæ permanent. In duabus enim infœcundis mulieribus citra ullum delectationis ſenſum, juxta propriam ipſarum confeſſionem, congreſſum patientibus, internum uteri orificium coalitum, defectus rugarum in collo deprehendebatur, ſecundum Hiſtor. Morbor. Vratislav. *An.* 1702. *pag.* 210. In femina ex ſuppreſſione lochiorum ſtupendo abdominis tumore defuncta orificium uteri interius plane cartilagineum ac firmiſſime coalitum annotavit Matthæus Harderus *M. N. C. Dec. III. An.* 5. *& 6. Obſ.* 93. *p.* 181. Femina Pragenſis, quæ integrum ſexennium ventrem tumidum geſſit inſtar prægnantis, uterumque exiguum & arctum & orificium proprium arctiſſimum & durum habuit, vid. Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib.* 3. *Sect.* 21. *Obſ.* 55. *fol.* 1134. In femina hydrope uteri extincta orificium uteri in ſolidum ligamentum impervium degenerarat, teſte Philippo Hartmanno *M. N. C. Dec. II. An.* 5. *Obſ.* 67. *p.* 143. In matrona ſexagenaria, quæ binis nuptiis ſterilis fuerat, ſcirrhum circa orificium fundi uteri, qui inſtar annuli collum matricis circumdabat, adeoque uterum claudebat,ut ſtyli acies vix immitti poſſet, invenit Guilhelmus Fabricius Hild. v. *Obſ. Chir. Cent. I. Obſ.* 65. *Oper. f.* 51. Et in honeſta matrona, quæ in primo puerperio inflammatione uteri laboraverat, curata tamen ſterilis manſerat, idem autor in cervice ante orificium fundi uteri ſcirrhum magnitudine ovi anſerini, ipſi adeo adhærentem, ut unum videretur corpus, nec ullo modo ab ea divelli potuerit, ſe inveniſſe ſcribit, *l. a. Obſ.* 66. Scribit etiam Nathanael Highmorus *Anat. Lib.* 1. *Part.* 4. *cap.* 4. *fol.* 98. ſterilitatem ſequi, ſi os uteri internum invertatur, induretur, exulceretur, vel cicatrice obducatur, vel humidum nimis

fiat.

fiat. Plura de interni orificii clauſura reperies in Muliebr. *Cap.* 3. §. 27. (*p.* 27. *ſeq.*) Attamen ejusmodi etiam occluſas non ſemper ſteriles eſſe, defendunt autores Hiſtoriæ Morb. Uratislav. *l. a.* his verbis: Certe jam a multis annotatum autoribus, conceptui obicem poni, ſi internum uteri orificium quacunque de cauſa fuerit arctius; nihilominus graves patitur difficultates hæc ſententia, eo quod a præclariſſimis medicis obſervatum, per ſolum penis ad muliebria clauſa affrictum ac externam ſeminis aſperſionem mulieres nonnunquam concepiſſe, & hodie communi eruditorum ſuffragio comprobatum ſit, non opus eſſe, ut craſſior ſeminis pars ad ipſam uteri cavitatem pertingat, ſed ſufficere, ſi genitales ſpiritus, qui per exiguum etiam porum facile poſſunt penetrare, ad illum diffundantur, uti in capite ſeq. pluribus videbimus.

§. 28.

His de atretis ſeu imperforatis earumque conceptione præmiſſis ad ſuperiores quæſtiones regredimur, & primo quidem ad quæſtionem: *An virgines atretæ ad matrimonium admittendæ?*

An virgines atretæ ad matrimonium ſint admittendæ?

paucis reſpondemus, ex hactenus equidem adductis exemplis, ſecundum quosdam autores, ſatis liquere, quasdam virgines atretas absque penis in uteri vaginam immiſſione per ſolam ſeminis virilis vim plaſticam concepiſſe, ex quo fundamento nonnullis etiam omnes aliæ imperforatæ pari modo ad conceptionem ſatis aptæ videntur; hinc etiam illæ imperforatæ, quibus a ſuppreſſione menſium vel ex aliis cauſis, interdum venter intumeſcit, ab ingravidationis ſuſpicione immunes non ſunt, cum tamen aliis illæ tantum, quibus ingreſſus ad uteri vaginam non penitus occluſus eſt, ad conceptionem habiles ſint. Circa hanc autem quæſtionem tria conſideranda veniunt, primo coitus ſeu viri in feminam ingreſſus, deinde conceptio, & demum partus. Primo coitus perfectus cum atretis abſolvi non poteſt, ſi tales feminæ vel per craſſam membranam, vel per excreſcentiam car-

neam, vel per coalitum quendam vaginæ, ita deprehenduntur occluſæ, ut vir mentulam ſuam ipſarum vaginæ debito modo applicare vel immittere non poſſit. Imprimis autem tales atretæ ad cohabitationem & matrimonium ineptæ judicantur, quibus non membranula quædam tenuis (quæ aliis hymenis nomine venire ſolet,) uteri ingreſſum occludit, & ſæpiſſime absque magno conatu disrumpi poteſt, ſed quibus dicta membrana nimis craſſa, carnoſa & penitus imperforata eſt, & absque operatione chirurgica minime aperiri vel perforari valet; quapropter ejusmodi atretis, mea ſententia, matrimonium non erit concedendum. Quamvis etiam ſecundo aliqua atretarum concipientium exempla a nobis adducta fuerint, minime tamen infallibiliter exinde erit concludendum, hanc vel illam quoque ſponſam atretam, ſine præcedente cura & clauſuræ apertura concepturam eſſe, ut adeo de ſuſcipienda prole, tanquam matrimonii fructu, maximum oriatur dubium. Multo minus etiam attetis, ſi quæ dicto modo concepiſſent, absque occluſæ vaginæ uteri apertura felix partus promittendus, ſed potius fœtus vel matris, vel utriusque obitus timendus erit. Quodſi proinde ejusmodi atretæ virginis ſponſus de hoc vitio ſive connato, ſive jamjam adultæ per infortunium aut morbum ſuperveniente, ante nuptias, vel per ipſius ſponſæ, vel parentum, amicorum, chirurgorum vel obſtetricum, quibus hæ clauſuræ quandoque notæ ſunt, aut aliorum relationem, certam notitiam acciperet, ideoque ſponſaliorum diſſolutionem coram magiſtratu eccleſiaſtico expeteret, tunc ante omnia pro indaganda veritate, atretæ ſponſæ partium pudendarum inſpectio inſtituenda, atque ſtatus morboſus, an ſit curabilis nec ne, examinandus & referendus erit; ſive enim occluſio hæc ob membranam introitum occludentem, ſive ob aliud obſtaculum, v. g. vaginæ uterinæ ab eroſione, ambuſtione, dilaceratione & cicatrice coalitum, ita ſit conſtituta, ut nulla arte ad viri ingreſſum fœtusque egreſſum ſufficienter reſerari poſſit, tunc ſane ob infeliciſſimum partus eventum conjugium

&

& cohabitatio diſſuaderi atque prohiberi debet. Econtra vero ſi dictus ſtatus morboſus in virgine eſſet medicabilis, tunc ejusdem curam, quæ potius ante coitum & nuptias, quam circa partus demum tempus, inſtituenda eſſet, prudenti chirurgo committere decet; hujusque cura feliciter peracta & ſublato coitus impedimento matrimonium concedi poteſt.

§. 29.

Hanc ſententiam confirmat etiam Henricus Kornmannus *de Virginitat. Jur. cap. 33. p. m.* 101. ubi ad quæſtionem: num virgo ita arcta, ut mulier fieri non poſſit, matrimonium contrahere queat? ita reſpondet: Inveniri puellas velatas & attritas, quas vocant, quæ ita clauſæ ſunt in pudendi ſinu & ore uteri, ut nec conſuetudinem viri ferant, nec effluant menſtrua, conſtat. Et non perforatarum meminit Ariſtoteles *in* 4. *de Generat. animal. cap.* 4. & dicit pontifex *in c.* 3. *de frigid. & malef.* quod, ſi vitium illud mulier a natura contraxit, nec ope medicorum poterit adjuvari, viro aliam accipiendi tribuat facultatem. Item *cap.* 4. *d. tit.* reſpondet pontifex, quod licet incredibile videatur, quod aliquis cum talibus contrahat matrimonium, romana tamen eccleſia conſuevit in conſimilibus judicare, ut quas tanquam uxores habere non poſſunt, habeant ut ſorores, juxta Auguſtini dictum. Si non poſſit cohabitare, ut conjux, cohabitet, ut frater vel ſoror. Sed quid jus civile Romanum de talibus? Juriſconſultus Ulpianus *in leg. quæritur* 15. §. *mulierum. ff. de ædil. edict.* ita arctam, ut mulier fieri non poſſit, ſanam non videri conſtat. Maritus ergo, qui vult eſſe pater liberorum, licite divortium ab ea petere poteſt. Favor enim liberorum maximus erat apud Romunos §. *ſi enim tres liberos.* §. *filii autem ſuperſtites. Inſtit. de excuſat. tut. vel curat.* & dabatur privilegium illis, qui ſobole civium numerum multiplicabant. Auguſtus Cæſar in oratione ad maritos. Item ad cælibes *apud Dion. Caſſium Nicæum libro* 56. tum maximum & præcipuum munus ac officium mulierum eſt accipere, & tueri conceptum, *d. l. quæritur, in pr.* *Autoritas.*

Et Fortunatus Fidelis *de Relation. Medic. Lib.* 3. *Sect.* 2. *cap.* 6. *p.* 373. quo loco de inſtrumentorum generationis vitiis in feminis conceptionem impedientibus agit, ita ſcribit: Morboſa etiam conceptionis inſtrumenta ſæpe facunditati non mediocriter officiunt. Tales ſunt, quibus aliqua ex parte pervia natura non eſt, (atretas vocant & clauſas,) aut ſi pervia quidem ſit, non ita tamen ſatis pateat, ut virile membrum admittant. Hæ enim hoc nomine a conjugio arcendæ ſunt, non ſolum, quod difficile concipiant, ſed etiam quod parere non poſſint: ut plerumque ad ipſam uteri cæſionem devenire neceſſe ſit. Sed hoc obſtaculum ſæpe a natura eſt: non raro ab ulcere male curato, ſuccreſcente nimirum carne, aut meatibus cicatrice coactis contractisque. Ergo diligens opera adhibenda eſt, ne ignores, quod emendari malum valet, & quod incurabile eſt: ac tum demum ſententia ferenda eſt.

§. 30.

An imperforatarum matrimonium iterum diſſolvendum?

Quod ſi vero cuidam ſponſo ſponſa atreta, cujus tamen ſtatus morboſus ſponſo penitus incognitus eſt, manu ſacerdotali copulata fuerit, ipſe autem huic feminæ ob recenſitas cauſas cohabitare non poſſit; Quæritur:

An hoc matrimonium ſtatim iterum diſſolvendum, talesque conjuges ſeparandi ſint?

Ad quam quæſtionem ex antecedentibus de virginum atretarum diſſuadendo matrimonio, cæteris paribus, ſi ſcilicet in inſpectione uxoris partes genitales adeo anguſtæ, arctæ vel etiam penitus imperforatæ, ſive alio modo coalitæ & obſtipatæ deprehendantur, ut per mariti ſatis valentis cohabitationem membrana ingreſſum obſtruens nec disrumpi, nec ipſæ partes pudendæ aperiri poſſint, adeoque ſine operatione chirurgica nec coitus legitimus, nec felix partus expectandus ſit, vitiumque pro incurabili habeatur, affirmative reſpondendum videtur, ut ſcilicet nova uxor ſtatim chirurgicæ manui committatur, vel a marito iterum ſeparetur. Quod confirmat Joh. Georgius Nico-

lai

lai *de Repud. & Divort. cap. 3. n. 4. p.* 166. ubi de impotentia alterius conjugis, eaque vero totali ac abſoluta & incurabili, & quidem ratione mulieris, ita ſcribit: Si mulier ſua natura ita arcta eſt & atreta, ut a nemine cognoſci, vel vitium illud inciſione (quam femina invita, maxime ſi inciſio ſine magno periculo vitæ aut corporis fieri nequeat, admittere non tenetur,) vel alio remedio, citra ſummum periculum tolli queat, vel ſi alio vitio naturali eoque tali ſit affecta, quod congreſſum naturalem non permittat, de qua impotentia vid. *c. fraternitati* 6. *& t. x. de frigid. & malefic. l. mulierem.* 14. §. 7. *ff. de ædilit. edict.* Zacch. *Quæſt. med. leg. Lib.* 3. *Tit.* 1. *quæſ.* 7. *n.* 25. *& ſeqq. & lib.* 9. *t.* 3. *qu.* 2. *n.* 15. *& ſeqq.* Sanchez *de matrim. Lib.* 7. *diſp.* 92. *&* 93. Schrader. *ad tit. I. de nupt. n.* 73. *ſeq.* Kizel. *in ſynopſ. matrim. c.* 3. *theor.* 3. 4. Brouwer. *de Jure Connub. l.* 2. *c.* 16. *& ſeqq.* Ziegler. *in Comment. ad Inſtitut. Jur. Canon. l.* 2. *tit.* 16. §. 7. Brunnem. *de Jure Eccleſiaſt. lib.* 2. *c.* 17. §. 7. *ibique.* Stryck. *in addit. ubi p.* 669. caſum ſingularem & notabilem mulieris non quidem arctæ, ſed alio vitio naturali, congreſſum naturalem impediente, affectæ, & hinc per ſententiam a viro ſeparatæ, refert. De morbo inſanabili & uſum matrimonii impediente inquit Theodorus Beza *Tr. de Repud. & Divort. p. m.* 150. illud non temere quæritur: ſitne ſtatuendum inutile matrimonium & ipſo jure nullum, ſi poſt nuptiarum benedictionem & thorum communem morbus perpetuus & inſanabilis, qui mutuum corporum uſum penitus tollat, veluti maniſeſtiſſima frigiditas, genitalium privatio, muliebrium coarctatio, quæ nullum remedium patiatur, aut vitium denique aliquod ejus generis apparuerit? Reſpondeo, in hac ſpecie magna & exacta circumſpectione opus eſſe, quoniam ſi quid reipſa, vel ex nuda præſumptione attentatum eſt, contracta ſaltem videtur affinitas, & tutius eſt pro ejusmodi matrimonio, quam contra matrimonium judicare, quum præſertim ad communem usque thorum perventum eſt. Si tamen ejusmodi vitium eſſe conſtiterit, ut nullam fuiſſe commixtionem neceſſario conſequatur,

æquum eſſe videtur, ut, quemadmodum de ſponſalibus diximus, nullum fuiſſe conjugium ſtatuatur; & graviter pro facti circumſtantia in eum animadvertatur, qui ſciens deprehenſus fuerit eccleſiam & proximum ipſamque adeo matrimonii puritatem ludibrio habuiſſe.

§. 31.

An vir atretæ cohabitare teneatur?

Utrum vero vir teneatur reddere debitum uxori imperforatæ, nempe quæ uteri clauſuram patitur incurabilem, juxta Paul. Zacch. *Qu. med. leg. Lib. 7. Tit. 3. Qu. 5. n. 11. fol. m.* 648. in dubium ideo verti poteſt; ſunt enim mulieres nonnullæ, quibus membrana in medio uteri collo obtenditur, aliquando tam dura, ut nulla irruentis viri violentia disrumpi poſſit. Videtur autem, virum teneri his reddere debitum, maxime ſi concipere poſſint, ut nonnullæ poſſunt; nullo enim fine videtur deſtitui hoc matrimonium, ita ut irritari poſſit, dum ultra cæteros etiam hunc, qui præcipuus eſt, habere poteſt, nempe ſobolis procreationem, quia Hippocratis aliorumque medicorum autoritate hujusmodi mulieres concipere poſſunt. Imo etiamſi, pergit Zacchias, hoc fine deſtitueretur, tamen non excuſari deberet vir, quin redderet, quia neque ipſe vir, neque mulier impediuntur, quin ſemen emittant, unde uterque eorum poteſt habere remedium concupiſcentiæ, & uſu matrimonii mutuam dilectionem fovere. Ergo etiamſi ex hoc capite mulier ſterilis eſſet, tamen non eſſet illi denegandum debitum, quia & ſterilium matrimonium valet, & ſterilibus etiam ex alia magis irreparabili cauſa debitum eſt reddendum, quia etiam abſtracta a conjugio omni ſpe habendæ prolis, tamen conjugium non eſt irritum. Si ergo inter hos matrimonium valet, recte matrimonio uti poterunt. Neque dicendum, idcirco in hoc caſu non eſſe reddendum debitum, quia neceſſe eſt virum extra vas femineum ſemen effundere, & hoc fieri non poſſe absque peccato, quia id non videtur habere locum in hoc caſu, cum non poſſit dici, virum extra ſemen effundere, ſi intra uteri collum effundat; quemadmodum

neque

neque ille extra vas effundere dici deberet, qui per negligentiam, vel aliqua alia ex cauſa ad intima uteri concumbendo non perveniret, ſed in media ſemita ſemen emitteret: totum enim uteri collum vas illud dici debet, in quod ſemen projiciendum eſt; ſufficitque ad hoc, ut vir dicatur intra vas effundere, ut intra uteri labra emittat; ſatis namque eſt, ut in locum emittat, unde uterus ſua attractrice facultate illud ad ſe allicere poſſit, ut inde conceptio ſequatur. Alia tamen ex parte, juxta Zacch. *l. a.* videretur in hoc caſu debitum non eſſe reddendum, cum ſubſit manifeſtum vitæ periculum ipſius mulieris, ſi concipiat ex una, & ex alia ſemen ob membranæ impedimentum retrocedat, at tantundem ſit illud extra vas effundere. Quibus conſideratis canoniſtæ determinabunt, an matrimonium cum his feminis valeat, an debitum reddi debeat, & hujusmodi alia dubia, quæ circa hoc occurrere poſſunt; mihi ſatis ſit ea, quæ ad medicum cognoſcere ſpectat, præmonſtraſſe. Scio, arctationem, quæ remedium non admittit in femina, cauſam eſſe ſufficientem ac præſentaneam dirimendi matrimonium: ſed ſi conjuges eo modo, quo potuerint, commixti fuerint & ſeminaverint, & ex eo congreſſu mulier conceperit, ut evenire poſſe Hippocrates dixit, potueruntne conjuges, cognito impedimento hujusmodi, ab invicem ſeparari & matrimonium dirimi. Ad hoc dubium quid ſit dicendum, Zacchias canoniſtis relinquit determinandum.

§. 32.

Quod autem hoc loco refert Zacchias de membrana in medio uteri atretarum collo obtenſa adeoque dura, ut nulla mariti violentia disrumpi queat, nihilominus tamen conceptionem non impediente, illud absque dubio de membrana ſimul perforata vult intellectum; ſiquidem juxta paulo ante adducta atretarum concipientium & gravidarum exempla, ordinarie in membrana, membri virilis ingreſſum impediente, vel majores vel minores aperturæ fuerunt obſervatæ; Quamvis etiam interdum

Atretæ quomodo concipere & parere posſint?

dum in membrana atretæ cunnum obſtruente nulla apertura in medici & chirurgi dictas partes ex officio inſpicientium oculos incurrat, poſſibile tamen mea ſententia eſt, in dicta membrana quandoque, ſi non magnum & rotundum foramen, ſciſſuram tamen aliquam oblongam vel etiam aliquot parva hinc inde foraminulatione, per quæ penetrans viri aura ſeminalis ovulum in ovario fœcundare valeat; quapropter etiam potius ob aliqualem procreandæ ſobolis ſpem inceptum matrimonium non ſtatim diſſolvendum videtur, cum ſecundum recenſita exempla nonnullæ mulieres atretæ poſt aliquot demum annos conceperint, temporeque legitimo vel ſpontanea uteri apertura vel chirurgi opera felices puerperæ evaſerint. Uti in gravida atreta inſtante partu ex magna humiditate eo confluente talem coalitum ſponte recluſum ex Joh. Riolan. *Enchir. anat. Lib.* 2. *cap.* 37. *p.* 184. & in alia ob pruritum circa vulvam clauſtrum ſuum lacte aſinino frequentius lavante, tandem laxatum noctuque disruptum ex *M. N. C. Dec. II. An.* 7. *App. p.* 160. *ſeq.* paulo ante adduximus. Quod autem allegatus Zacchias tantummodo de membrana in in medio colli uteri reperiunda refert, idem etiam, cæteris paribus, ad membranam primum antri venerei oſtium circa labia claudentem applicari poterit.

§. 33.

Inſpectio neceſſaria.

Ante ſeparationem itaque conjugum maxime neceſſaria eſt partium atretæ uxoris genitalium inſpectio, circa quam bene attendendum, qua ratione, quove loco naturalis hæc partium genitalium occluſio fiat, an in ipſis pudendi labiis, vel ante orificium vaginæ uterinæ, vel in ipſius medio; an per membranam a prima formatione & partu, an vero per coalitum ab eroſione, vulnere, ambuſtione, exulceratione aliiſque morbis, v. g. a variolis, qualia exempla ſupra recenſuimus; item an talis membrana vaginam uterinam plenarie obſtruat, vel an unicum vel plura foramina, majora vel minora, tam ad menſtrui ſanguinis aliorumque humorum effluxum, quam ad ſeminis virilis ejusve

auræ

auræ genitalis admiſſionem, pro conceptione ſufficientia habeat; Porro an membrana ſit rara, tenuis & poroſa, an vero craſſa, denſa, membranacea, valida vel carnea & ſpiſſa; ſiquidem ſecundum has differentias medicus vel chirurgus faciliorem vel difficiliorem & magis periculoſam curam promittere poteſt.

§. 34.

Talis autem inſpectio jam olim in uſu fuit, ut in impotentia coeundi naturali medici viros, obſtetrices vero mulieres inſpicerent, uti de naturali coeundi impotentia refert Paulus Zacchias *Quæſt. med. leg. Tom. III. Deciſ.* 40. *fol.* 225. die X. Dec. 1612. fuiſſe reſolutam inſpectionem Franciſci, & poſtea etiam Mariæ, ubi medici de illo retulerint, ipſum non poſſe coire cum virgine valde arcta, obſtetrices vero de hac, quod eſſet virgo & valde arcta, hinc ſe dubitaſſe, an eſſet locus diſſolutioni matrimonii &c. Requirebantur, inquit, autem obſtetrices duæ vel tres expertæ & peritæ in opere nuptiali, quæ nec ſenio confectæ, nec juvenes erant, ne vetulæ beneficio viſus fruſtratæ, juniores vero carentes experientia faciliter eludantur. *vid. ibid. Deciſ.* 48. *fol.* 230. *n.* 10. Et *n.* 18. ita de inſpectione pergit: quando peritia mulierum non eſſet ſufficiens ad reſolvendum, an impedimentum poſſit tolli, eſſet admittenda inſpectio virorum peritorum, ut voluit Franciſcus Aretinus *in Conſil.* 142. *n.* 17. *verſ. ne igitur facultas*, qui loquitur in terminis & reſpondet omnibus contrariis, vel ſaltem periti deberent audire relationes mulierum, & ſuper illis ſuam proferre ſententiam. Secundum ſententiam Facultatis Wittebergenſis ad inſpectionem deſponſatæ, quæ viro jam ſedecim ſeptimanas cohabitarat ad matrimonium nihilominus inhabilis dicebatur, quatuor honeſtæ, annoſiores, piæ & expertæ matronæ, quæ aliis ſæpe in partu adſtiterant & auxilium tulerant, juxta cum obſtetrice jurata & quatuor adhuc aliis mulieribus concivibus vetulis biniſque inſuper obſtetricibus, & ita octo matronæ & tres obſtetrices requirebantur, quæ vi juramenti præſtiti aſſerere debebant, perſonam illam ita

comparatam eſſe, ut marito ejus impoſſibile ſit coitum cum illa exercere & perficere: quod etiam ita conſtituta ſit, ut auxilio & adminiculo humano curari non poſſit, uti jam ſupra ex Mich. Bernh. Valentin. *Pandect. med. leg. Part. I. Caſ.* 14. *pag.* 42. *ſeq.* adduximus. Duabus quoque obſtetricibus in ſterilis uxoris inſpectione fidem adhibuit Conſiſtorium ſupremum Saxonicum, vid. Bened. Carpzov. *in Jurispr. Conſiſt. Lib.* 2. *fol.* 300.

§. 35.

An obſtetricibus committenda?

Quam fallax autem circa hoc coitus impedimentum ſeu coarctationem ſit obſtetricum judicium, non modo ex hactenus recenſitis obſervationibus, ſed aliis quoque autoribus patet; ſiquidem juxta Viti Riedlini *Lin. med. An.* 5. *Obſ.* 15. *p.* 1092. *ſeq.* obſtetrices quædam ruſtici uxorem, cum qua ipſe rem habere non potuerat, tam arctum vulvæ orificium habere jurato teſtabantur, ut ſperandum non ſit, quod unquam cum quopiam coire poſſit; quæ tamen ruſtica jamdum ex furtivis amoribus conceperat atque poſt trimeſtre fœtum edebat. De hoc judicio ita ſcribit Johannes Bohnius *de Offic. Med. duplic. Part. II. cap.* 3. *p.* 567. *ſeq.* an de impotentia coeundi muliebri adeo fideliter teſtari queant obſtetrices, prout quidem eas in diverſis hujus generis occaſionibus egiſſe, harumque aſſertum ſententia divortii Conſiſtoriorum confirmatum fuiſſe, hinc inde penes legum commentatores legere licet, v. g. Carpzov. *Jurispr. Conſiſtor. Lib.* 2. *defin.* 201. & Simon. *de Impotent. conjugal. cap.* 7. *th.* 1. vel ideo dubito, quod illæ arctitudinis femineæ, quæ cum prolapſu uteri enormiore frequentiſſima illius impotentiæ cauſa, differentias & gradus non adeo accurate dignoſcant, ſeu dignoſcere queant. In ſpecie ſi pelliculam vaginæ p. n. prætenſam, pro naturali ſeu hymene ex hypotheſi communi habeant, vel ſi per arctitudinem quamvis, etiam a mentulato ſeparabilem feminam coire ac concipere non poſſe aſſerant. Qualis fallaciæ exempla ex corpore canonico & actis Conſiſtorii eccleſiaſtici de Margaretha Brinrothin ex eodem Bohnio jam ſupra recenſuimus.

Juxta

Juxta Hiſtor. Morbor. Vratislav. *Ann.* 1700. *p.* 208. imperitis obſtetricum oculis & manibus inſpectio permitti nequit, ſi finis ejus conſideretur, neque enim nude id quæritur, an occurrat in genitalibus aliquod vitium, ſed an illud ita comparatum, ut nullam admittat curationem, niſi cum gravi vitæ periculo conjunctam; ejus autem rei dijudicatio quam longiſſime ſuperat caput fatuarum muliercularum? Et quis, quæſo, ab eis expectet, ſi membrana quædam ante uteri os obtendatur, an nervea ſit, an carnea, an, ſi incideretur, magna ſit metuenda hæmorrhagia, inflammatio, gangræna, convulſio, aut, ſi vagina ſecundum ſuos parietes coaluerit, an exigua ſit, an magna, an a prima nativitate, an morbo inducta iſta cohæſio & coaleſcentia? ut jam nihil dicamus de ulceribus ſcirrhoſis &c. Absque horum & multorum aliorum præſuppoſita notitia ad cauſæ deciſionem non poteſt rite deſcendi. Hoc de obſtetricibus judicium non modo fertur, cum Vratislaviæ poſt contractas nuptias neonupta tanquam atreta & imperforata, aut etiam tanquam velata, adeoque ad admittendum membrum virile inepta accuſaretur, & quæſtio, an inſpectio & exploratio hæc obſtetricibus an medicis committenda ſit? moveretur, ad quam ibidem ob dictas rationes medicis inſpectio committitur, atque autoritate Thomæ Sanchez ſequentibus verbis confirmatur: Quamvis regulariter ad mulierem inſpiciendam eligendæ ſint matronæ honeſtatis gratia, ut conſtat *ex c. propoſuiſti &c. & ex c. penult. de probatione & ex c. fraternitatis, & cap. fin. de frigid.* at ubi agitur de qualitate altiorem peritiam ad judicandam deſideranti, quam quæ in feminis reperitur, ne probationum facultas pereat, aut matrimonium diſſolvatur, vel irritum approbetur, medici periti adhibendi ſunt, quo feminam inſpiciant, quod hujus rei gravitas ac neceſſitas præponderet naturali honeſtati, ſicut a medicis inſpicitur, ubi neceſſitas urget morbi. Et probatur *ex cap. ex liter. de frigid. ibi:* ſi vitium illud mulier a natura contraxit, nec ope medicorum poterit adjuvari. Et *cap. fraternit. v. per hæc autem eo tit.*

ibi: niſi per inciſionem aut alio ſimili modo violentia inferatur. Nam uterque textus ſupponit in his eventibus, feminam a medicis inſpiciendam, utpote qui nec id judicare nec decidere poſſunt absque conſpectu &c. Quandoque etiam caſus occurrunt, in quibus coitus impediti cauſam obſtetrices ex partibus genitalibus inſpectis cognoſcere non poſſunt, ſuamque ignorantiam fateri tenentur, uti in ſequentibus de coitus ab uteri prolapſu impedimento elucefcet, ad cujus feminæ inſpectionem, honeſtatis & bonorum morum gratia duæ obſtetrices cum quatuor matronis juramentum deponentibus, deſtinabantur, ita tamen ut medicus absque propria inſpectione a latere obſtetricum relationes & obſervata annotare, ipſisque a conſilio & informatione eſſe deberet. Ob hanc itaque obſtetricum ignorantiam non immerito ſimul medici & obſtetrices, ad ejusmodi ventris inſpectiones requiri ſolent, uti in puellæ duodecennalis, pro deflorata habitæ caſu a facultate medica Lipſienſi, prudentis cujusdam medici juratæque obſtetrici inſpectio & relatio requirebatur, vid. Mich. Bernh. Valentin. *Novell. med. legal. Caſ.* 8. *p.* 230. quanquam ſolius etiam medici inſpectio & relatio ſufficere poſſit; Interim tamen negandum non eſt, medicum etiam oculatisſimum in re tam abſcondita, ſi præſertim membrana coitum impediens non ante vaginæ ingreſſum, ſed in ipſius medio, deprehendatur, ob latitantem fortaſſe tenuem ſciſſuram aut parva foraminula, quandoque errorem ratione conceptionis committere poſſe; uti ſupra de Margaretha Brinrothin vidimus.

§. 36.

Mares ſimul inſpiciendi?

Circa hanc atretarum inſpectionem adhuc monendum venit, quod, cum vitium impeditæ cohabitationis conjugalis modo in feminis, modo in maribus, modo etiam in utroque ſexu conſiſtat, hoc in paſſu non tantum uxoris partes genitales ſint inſpiciendæ, ſed interdum quoque ipſius mariti membrum generationi dicatum; ſiquidem mulieres quandoque non adeo ſunt anguſtæ, ut atretis vel imperforatis annumerari debeant, licet

licet onobeli mariti monſtroſum penem ſine damno & dilaceratione ferre vel admittere non valeant, quale exemplum de viro quodam, inferioris conditionis, Mühlhauſiæ Variscorum incola, cujus membrum, quo viris annumeratur, tanta erat vaſtitate, ut equino magnitudine parum cederet, quare etiam uxor ejus, cupiditate prolis inflammata, divortium per viam juris ob impeditam venerem ſerio urgebat, in Spermatolog. noſtr. *Cap.* 3. §. 15. *p.* 110. ex Albini *Diſputat. de ſterilitat.* recenſuimus, quo loco etiam plures ejusmodi mentulas monſtroſas reperies. Ex utroque ſexu dependens cohabitationis impedimentum annotavit Henricus Smetius *Miſcell. med. Lib.* 10. *p. m.* 571. quo loco non tantum mulier ruſtica juvencula vix ſesquiannum nupta, a marito, cauſante quod eam inire non poſſet, repudiata, a collegio facultatis medicæ examinata, deprehendebatur in oſculi genitalis parte inferiore habere perinæi membranam nimis latam, adeo ut dimidiam genitalis oſculi partem velut phymoſi quadam obſtrueret, membrique virilis immiſſionem recte faciendam præpediret. Nihilominus nec mariti genitale culpa omni carebat, quippe, quod mediocritatem excedere cenſebatur. Talem utriusque conjugis inſpectionem corporalem, in conjugio ruſticæ imperforatæ, decrevit etiam Conſiſtorium Ratisbonenſe juxta Joh. Helwig. *Obſ.* 139. *p.* 380. In ejusmodi autem caſu virorum inſpectio a ſolis medicis absque præſentia obſtetricis inſtituenda eſt.

§. 37.

ante divortium quid obſervandum.

Licet autem per inſpectionem ocularem & tactum manualem naturale impediti coitus vitium in feminam redundet, non tamen ſtatim matrimonii diſſolutio ſive divortium dictandum videtur, ſed omnia bene ponderanda, an tale impedimentum adeo evidens ſit, ut nulla quoque arte chirurgica tolli vel curari poſſit; ſiquidem ſi tali coarctationi naturali, vel occluſioni ſeu obvelationi chirurgus operatione vel inciſione aut enchireſi quadam mederi poteſt, tunc divortium locum non habet, ſed

tantum in illis atretis, quæ ſine ſanitatis & vitæ periculo per artem chirurgicam ad copulam carnalem & partum ſuo tempore ſubſecuturum aptæ ſatisque perforatæ reddi nequeunt; ſiquidem juxta Pauli Zacchiæ *Quæſt. l. a. Lib. 3. Tit. 1. Qu. 7. n. 28. f. 283.* ubi arctatio absque gravi periculo curabilis eſt, matrimonium non diſſolvitur, contra vero, ubi immineat evidens vitæ periculum. Hoc autem totum dependet ex ipſius clauſuræ natura & conditione, quæ duplici modo fit; vel enim membrana quædam nervea vel etiam carnea obtenditur ante os uteri, modo intimius, modo extimius; vel ipſæ partes colli pudendi inter ſe cohærent, & hoc, ut patet, modo laxius, modo arctius. Si membrana ſit, quæ impedimentum facit, ea vel craſſa eſt & denſa, & valida; vel rara, tenuis & debilis: ubi craſſa & denſa & valida eſt, neceſſe omnino eſt, in ejus inciſione (& præcipue, quando interius poſita eſt,) plurimum mulierem angi, maximam fieri ſanguinis effuſionem, dolorem intervenire acerbum, & in ſumma, vix evitabile eſt, quin partes maximo ſenſu præditæ in inciſione lædantur, unde ſpasmus ſive convulſio, inflammatio, ſphacelatio: itaque hæc operatio maximo & evidenti cum periculo fit. Ubi vero membrana tenuis eſt, rara & debilis, absque periculo poteſt incidi, præcipue in teneriori ætate; quanto enim femina annoſior eſt, tanto majori periculo exponitur; quia membra omnia procedente ætate indurantur, unde evidentior ſenſus, ubi in eis aliqua continui ſolutio contingat. vid. etiam *Lib. 9. Tit. 3. Qu. 5. n. 4. ſeq. f. 776. ſeq. & Tit. 10. Qu. 1. f. 805. it. Tom. III. Conſil. 72. f. 145.*

§. 38.

Vaginæ coalitus.

Non autem tantummodo a membranarum inciſione periculum quandoque imminet, ſed etiam, quando uteri vagina ſecundum ſuos parietes coaleſcit, quem coalitum Aetius *Sermon. 16. juxta editionem Baſileenſem cap. 97. fol. m.* 171. phimoſin uteri ſeu compactionem, & *ſecundum editionem Venetam cap. 95. p. m.* 907. uteri obturationem nominat, & ita deſcribit, quod

ſit

ſit obturatio circa os aut collum uteri, aut propter ulcerationem prægreſſam, aut ob inflammationem induratam, per quam loci adeo anguſti fiunt, ut ſemen non amplius admittant vel admiſſam non retineant, quia ob calloſam duritiem uterus contrahi non poſſit &c. A variis autem cauſis oritur hic coalitus, uti ſupra demonſtravimus, eſtque vel magnus vel parvus, atque vel a natura vel a morbo dependet; ubi magnus eſt & a natura, non recipit curationem; ubi magnus eſt & a morbo, vel eſt antiquus, vel recens, ille non curatur, hic equidem curationem admittit, difficulter tamen & non ſine aliquali periculo. Si dictus coalitus parvus & a morbo eſt, facilius, ſi a natura, difficilius ſanatur.

§. 39.

Secundum has diverſas uteri clauſuræ, debitam cohabitationem impedientis, cauſas differens quoque in atretis & imperforatis eſt inſtituenda cura, quæ ratione membranæ, ingreſſum impedientis, utplurimum inciſione, turundis & cannulis perficitur; de qua tamen prolixe hoc loco non agere, ſed ſolummodo quoſdam autores medico-chirurgicos adducere libet, in quorum ſcriptis varias enchireſes atque cautelas reperimus. Evolvi autem poteſt Avicenn. *Lib. Canon. Lib.* 3. *Fen.* 21. *Tr.* 4. *cap.* 2. *fol.* 403. Aetii *Sermon.* 16. *cap.* 96. *edit. Ven. p.* 907. *b. edit. Baſil. cap.* 98. *Tom.* 3. *f.* 172. Paul. Barbett. *Chirurg. Part. I. cap.* 13. *p.* 37. Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib.* 4. *Tr.* 1. *cap.* 12. *p.* 442. Joann. Wier. *Obſ. Lib.* 1. *Oper. pag.* 934. *ſeq.* Hieron. Mercurial. *de Morb. mulieb. Lib.* 4. *cap.* 14. in Iſrael. Spacch. *Gynæc. fol.* 288. Petr. Foreſt. *Obſ. med. Lib.* 28. *Obſ.* 55. *fol.* * 707. Gerard. Blaſii *Obſervat. med. Part. II. Obſ.* 6. *pag.* 39. *ſeq.* Cornel. Solingen *Handgriffe der Wund-Artzney Part. III. cap.* 31. *p. m.* 314. *ſeq.* 316. *ſeq.* vel editionis Belgicæ *manuale Operation p. m.* 214. *ſeq.* Marc. Aurel. Severin. *de efficac. medicin. Part. II. cap.* 47. *fol. m.* 105. Joh. von Muralt *Chirurg. Schrifft. Operat.* 34. *p.* 115. *ſeq.* Roder. a Caſtr. *de Morb. Mul. Lib.* 1. *cap.* 1. *p.* 1. *ſeqq. Lib.* 4. *cap.* 3. *p.* 443. Heinr. von

Atretarum cura.

Roon-

Roonhuyſ. *Obſ. Lib.* 2. *p. m.* 98. 105. *ſeqq.* 112. *ſeq.* Job. a Meckren *Obſ. med. Chir. cap.* 24. *p.* 114. *ſeq. & cap.* 55. *p.* 260. 263. Hieron. Fabric. ab Aquap. *Part. I. de Operat. Chir. cap.* 82. 83. *ſeq. pag.* 308. *ſeqq. edit. Patav. fol.* 279. A. Corn. Celſ. *de Medicin. Lib.* 7. *cap.* 28. *p. m.* 518. *ſq.* Guil. Fabric. Hild. *Obſ. Chir. Cent. III. Obſ.* 61. *Op. fol.* 245. Gaſp. Taliacot. *de Curtor. Chirurg. Lib.* 1. *cap.* 20. *p. m.* 226. *ſeq.* Joh. Scultet. *Armament. Chir. Part. I. Tab.* 43. *p.* 102. *ſeq.* Simon Schultz *in M. N. C. Dec. I. An.* 3. *Obſ.* 3. *p.* 5. *ſq.* Jean Baptiſt. Verduc *des Operation dela Chirurg. Tom. I. cap.* 27. *pag. m.* 132. *ſeq. item Suite dela Patholog. cap.* 42. *p.* 1068. *edition. German. p.* 91. 93. Henr. a Moinichen *Obſ. med. Chir. Obſ.* 13. *Schol. pag.* 52. Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. V. Hiſt.* 42. *pag.* 95. Dionis *dans les Cours d'Operations de Chirurgie Demonſtrat.* 3. *pag.* 192. *ſeq.* Chriſtian. Joh. Lang. *Oper. Tom. III. Diſp.* 38. §. 42. *fol. m.* 517. *& Diſp.* 40. *fol.* 535. *ſeq.* Joh. Muralt. *in M. N. C. Dec. II. An.* 3. *Obſ.* 151. *p.* 296. *ſeq.* & ex hoc Theoph. Bonet. *Medicin. ſeptentr. Part. II. fol.* 995. Petr. de Marchett. *Obſ. med. Chir. pag.* 132. *ſeq.* Philipp. Grüling. *Curat. dogmat. hermet. Obſ.* 5. *pag.* 7. *ſeqq.* Coſm. Viardel. *von der weiblichen Geburt Cap.* 22. *pag.* 98. Laurent. *Heiſters Chirurg. Part. III. Cap.* 133. *p.* 654. Joh. Frid. Zittmann. *Medicin. Forenſ. Cent. IV. Caſ.* 88. *pag.* 1053. *ſeqq.* Balduin. Ronſei *Epiſt.* 49. *p.* 186. *ſeqq.* Ephemerid. Acad. Nat. Cur. *Cent. VII. & VIII. Obſ.* 43. *p.* 89. *item Cent. IX. & X. Obſ.* 73. *p.* 386. Felic. Plater. *Obſ. med. Lib.* 1. *p.* 258. *ſeqq.* Joh. Schenck. *Obſ. medic. Lib.* 4. *f.* 549.

§. 40.

Curationes variæ. Ex his & aliis autoribus ſufficienter liquet, non modo membranas tenues, raras & debiles absque periculo incidi ſolere, ſed etiam craſſas, denſas & validas, imo duras atque calloſas membranas, a peritis & exercitatis chirurgis optimo cum ſucceſſu, tam pro ingreſſu mariti in coitu, quam pro ingreſſu fœtus in partu ſæpiſſime removeri, vel etiam perforari. Quod etiam de coaleſcentia vaginæ uterinæ obſervatum eſt, ſiquidem ejusmodi coaleſcentias magnas & totales fere, & antiquas, imo per cica-

trices

trices poſt gangrænam occluſas vaginas uteri per ſectionem curatas legimus. vid. Henr. von Roonhuyſ. *Heil-Curen Part. II. p.* 115. *ſeqq.* Cornel. Soling. *l. a. p.* 727. Imo excreſcentiam glanduloſam & induratam per manum chirurgi ſublatam videmus apud Roonhuyſ. *l. a. p.* 129. *&* 136. Et denique ipſa caro vaginæ introitum obſidens amplitudine duorum transverſorum digitorum & craſſitudine ſemipollicis, inciſa infanti exitum procuravit, vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. med. Gall. An.* 1. *Obſ.* 6. *p.* 173. In atreta, cui poſt difficilem partum vaginæ parietes coaluerant, dilatato prius per immiſſum tubulum plumbeum ingreſſu, adacta acie tricuſpide, tentata primum fuit perforatio, dilatatoriis dein turundis ampliata via, & repetita inciſione in vaginæ cavum chirurgus penetrabat &c. v. Ephem. Acad. N. C. *Cent. IX. & X. Obſ.* 73. *p.* 386. Quibus exemplis docemur, non ſtatim in omnibus feminis, quibus uteri ſinus membrana denſiori vel excreſcentia duriore vel coaleſcentia majori & inveterata occluſus eſt, matrimonii diſſolutionem locum habere, ſed antea manualem chirurgi exercitati operationem eſſe tentandam. Quam tamen, maxime ſi absque magno vitæ aut corporis periculo fieri nequeat, femina invita admittere non tenetur, uti paulo ante ex Joh. Georg. Nicolai *Tract. de Repud. & Divort. cap.* 3. *n.* 4. *p.* 166. monuimus. De hac quæſtione, an mulier ſatis arcta neceſſario inciſionem pati vi obligationis cum marito initæ debeat, rationes pro & contra, e Th. Sanchez & Baſ. Bonzio cum conciliatione, agit Joh. Georgius Simon *de Impotent. conjugal. Cap.* 7. *Th.* 6. *n.* 7. 8. 9. *p. m.* 152. *ſeq.*

§. 41.

Matrimonium in quibus diſſolvendum?

Quod autem hactenus de atretarum & imperforatarum ſtatu vitioſo & incorrigibili virum admittendi impotentia indeque diſſolvendo matrimonio diximus, de illis tantum feminis intelligendum, quibus uteri clauſura vel naturalis ſive connata eſt, v. g. a membranis vaginam uteri penitus occludentibus, vel etiam in infantia & ante matrimonium ab infortunio quodam

& morbo accidit, minime autem ad illas uxores, quibus ejuſmodi vitium & uteri obſtructio poſt copulam ſacerdotalem, conſummato & durante conjugio a partu difficili, dilaceratione & coalitu parietum ſinus muliebris, vel etiam a morbo ſupervenerit, applicari, neque divortium expeti debet, niſi fortaſſe tale malum femina ipſa ex vita diſſoluta v. g. per morbum Gallicum ſibi contraxerit; quod confirmat Joh. Georg. Nicolai *l. a. n.* 6. *ſeq. p.* 167. *ſeq.* inquiens, in hac materia impotentiam tantummodo matrimonium & primam copulam antecedentem, non vero poſt matrimonium ex accidenti ſupervenientem, vel per caſum ſubſequentem attendi debere, cum juris expediti ſit, & apud Dd. noſtros in confeſſo, quod ob priorem ſaltem, non autem poſteriorem impotentiam qualemcunque, vel aliud corporis vitium, poſt nuptias ſuperveniens, maxime ſine culpa tale impedimentum uni ex conjugibus accidiſſet, diſſolvi debeat conjugium per *text. expr. in C. quod. a.* 27. *q.* 2. *can. ſi qui matrim.* 32. *q.* 7. *l. ſi dotem* 22. *§. ſi maritus* 7. *Nov. Imp. Leon.* 98. Gerhard. *de Conjug.* §. 658. *&* 685. Dn. Scherzer. *in ſyſtem. theol. loc.* 27. *th.* 18. *pag.* 835. Sanchez *de matrim. Lib.* 7. *Diſp.* 102. Beuſt *p.* 2. *de matrim. c.* 14. Harpr. §. 11. *J. de Nupt. n.* 136. *& ſeqq.* Kizel. *in Synopſ. matrim. c.* 3. *theor.* 4. *lit. b.* Schrader. *ad tit. I. de Nupt. p.* 2. *n.* 105. Arniſ. *de jur. Connub. c.* 6. *Sect.* 8. *n.* 23. *&* 26. Carpzov. *in Pract. crimin. p II. q.* 61. *n.* 17. 18. *& l.* 2. *definit. Eccleſ. d. t.* 11. *def.* 202. Haveman. *in Gamalog. Synopt. l.* 3. *t.* 7. *poſit.* 12. Brunnem. *de Jur. Eccleſiaſt. c.* 17. §. 2. ibique Dn. Stryck. *in addit.* Dn. Ziegler. *Comment. ad Inſtit. Jur. Canon. l.* 2. *t.* 12. §. 14. *tit.* 16. §. 7. *it. n.* 8. pergit Nicolai: Quodſi vero alteruter conjugum facto ſuo malitioſo propriave culpa ſibi conciliaverit impotentiam, vel aliud damnum irreparabile uni contigiſſet, & pars ſana ſe continere nequeat, hoc caſu talem conjugem in effectu pro malitioſo deſertore habendum, ac propterea pro ratione circumſtantiarum, quandoque etiam propter impotentiam ſupervenientem & propria conjugis culpa doloſe procuratam divortium permittendum

dum eſſe, aſſerit Panormit. *in cap. ex literis in fin. x. de frigid. & malefic.* Beuſt *p. 2. de matrim. c.* 14. *§. quando a.* Arniſ *de Jur. Connub. cap. 6. Sect.* 8. *n.* 23. Dn. Stryck. *in addit. ad Jus Eccleſiaſt.* Brunnem. *d. l. 2. c.* 17. *§.* 2. Apud Jacob. Menochium declarantur, caſus in quibus permiſſa eſt ſeparatio ob impedimentum exiſtens in muliere, ut locum non habeat, quando vir ipſe ſciens mulierem illam adeo arctam, ut cognoſci non poſſit, eam nihilominus voluit in uxorem ducere. Nam tunc ea invita matrimonii ſeparationem vir petere non poſſit, vid. Mich. Bernh. Valentin. *Novell. Caſ. 6. p.* 133. *ſeq.* Principiſſam quandam ob arctitudinem uteri a prægreſſo matrimonio fuiſſe ſolutam, ex Thuano recenſet Michael Albert. *Jurisprud. med. Cap. 2. §. 29. p. 46.*

§. 42.

Antequam ad alia coitus impedimenta progrediar, ſequentem adhuc relationem de vere atreta muliere annectere libet:

Nachdem Fr. M. R. T. von ohngefehr 18. Jahren und mittelmäſsiger Länge vorgiebet, daſs ſie wegen derer allzugroſſen Schmertzen, ſo ſie bey dem von ihrem Ehemanne biſshero attentirt*en, niemahls aber verrichteten ehelichen Wercke ausſtehen müſſen, ſelbigem unmöglich mehr beywohnen könne; da hingegen ihr vielmehr die Urſache ſolches* Impedimenti *zugerechnet wird, indem ſie ſehr enge von Geburts-Gliedern oder verſchloſſen ſeyn müſſe, daher der* Congreſſus *ihr beſchwerlich falle; Als haben, auf ergangenen allergnädigſten Königl. Befehl und Gerichtl.* Requiſition, *wir endes geſetzter* Medicus *und* Chirurgus *uns am 11. Febr. des Morgens gegen 9. Uhr in der Fr. T. Loſement begeben, und die Sache mit zween geſchwornen Weh-Müttern unterſuchet und befunden, daſs ſelbige* circa partes pudendi crinita, *und die* Labia Pudendi *gar nicht verſchloſſen, wohl aber der Eingang oder* Orificium Vaginæ uterinæ *ſehr enge, oder vielmehr alſo verwachſen war, daſs man auch das erſte Glied des kleinen Fingers nicht recht hinein bringen, vielweniger daſſelbige mit der geringſten* Force *weiter hinein ſtoſſen können,*

ohne daſs ſie vor hefftigen Schmertzen geſchrien und Thränen darzu vergoſſen, indem innerlich alles verſchloſſen, und keine Oeffnung in die Vaginam Uteri *zu ſpüren war; Dahero gar leichte zu glauben, daſs, da ſie einen ſolchen* ſubtil*en* Attactum *ohne Schmertzen nicht erleyden kunte, ſie auch in dem vorgehabten* Coitu *groſſe Schmertzen empfinden müſſen.*

Trunck gekrieget haben vvill, nicht diviniren *kœnnen, daß die Umſtænde ſo viel zu bedeuten haben ſolten, dahero ſie ſolche auch aus der acht gelaſſen. Aus dem Vorgeben, es habe* Defendentin *ihr Ehemann* reprimandir*et, nach dem Anführen* fol. 185. art. 37. ſeqq. Vol. S. *iſt gantz kein* Indicium *zu erzvvingen, denn als durch der S., und ihres Anhangs, ausgeſtreuete Reden* Defendentin *Ehemann zu Ohren kommen, und unter andern ausgeſprenget vvorden,* Defendentin *bliebe nicht auf einer Rede, ſo hat ihr Ehemann ſie desvvegen befraget, daraus aber iſt das Verbrechen nicht zu erzvvingen, und vvenn das Anreden vvegen einer Sache eines Dinges Wahrheit und Unvvahrheit an Tag zu legen vermœchte, ſo vvürde folgen, daß nur allein dadurch der S. Lügen oder Ertichtungen ſattſam abgelehnet wæren, vveil* Defendentin *ſie desvvegen unerſchrocken zur Rede geſetzt,* ſufficit, *daß die Magd in ihrer Auſſage nicht ſagen kan, daß* Defendentin *ihrem Ehemann etvvas zugeſtanden oder eingeræumet, aus vvelchem etvvas vvidriges zu erzvvingen vvære. Wenn nun hieraus alles das, vvas entgegen geſetzet vvird, von ihm ſelbſt vvegfællet, ſo verhoffet* Defendentin *um deſtomehr eine vollkommene* abſolutoriam *zu erlangen, nachdem ſie auch hierüber die herrlichſten Bevveiſsthümer ihrer Unſchuld vor ſich hat, die auch dasjenige alles gæntzlich* elidiren *vvürden, vvenn ja aus denen obervvehnten* Indiciis *annoch etvvas übrig vvære, vvelches vvider* Deducentin *einige Vermuthung machen kœnte. Denn 1.) iſt* per ſupra deducta, Deducentin *eines Ober-Officierers Ehefrau,* honeſtæ vitæ & famæ vid. fol. 33. 63. 64. Vol. S. & ibid. inducta, qualis bona fama & vita indicia ad torturam ſufficientia e medio tollit, Cothmannus Vol. I. Reſp. 12. *die insbeſondere vor* Defendentin *reden. 2.) Sodann kan keine Urſache* in Actis *angegeben vverden, vvarum ſie ſich ſo groſſer Gefahr* exponir*et haben ſolte, und vvorbey die* fol. 158. b. Vol. ſub S. *angegebene* Curioſitæt *oder Unbedachtſamkeit, als hinlænglich nicht zu achten, 3.) Saget die Magd* fol. 7. Vol. ſub num. 28. it. fol. 33. Vol. S. conſtanter *aus, daß zu der Zeit, als die S. bey* Deducentin *gevveſen, ſich keine Manns-Per-*

ſon

ſon bey ihr befunden, noch ein Glaß Bier *auf dem Tiſche geſtanden und da gevveſen.* 4.) *Geſtehet die S. ſelbſt* fol. 6. *vvelches ſie auch beſchvvoren, daß* Defendentin *nicht nach ihr, ſondern nach der Krauſe geſchicket, und daß ihre Mutter nicht geſaget, daß ſie nach Tiſche durch ihr die Krauſe herein ſchicken vvollen.* 5.) *Hat* Deducentin *ſo fort, als ſie von dieſem* Imputato *Nachricht erhalten, nicht die Sache heimlich* tractir*et, und das Licht geſcheuet, ſondern ſovvohl* privatim *als* judicialiter *ſich darvvider* movir*et, und dadurch zur Gnüge ihre Unſchuld an Tag geleget, und endlich iſt auch ihre Unſchuld daraus abzunehmen, daß bereits* 6.) *nach* movirt*em* Proceſſe Defendentin *nebſt ihrem Ehemanne ſich in hieſigen Landen angekauffet und anſæßig gemacht*, vid. regiſtr. fol. 97. b. Vol. ſub S. *Da doch denen Rechten nach der* Reorum *Art iſt* fugere. Deducentin *verhoffet dahero um deſtomehr, daß ſie vollkommen, auch* ſine purgatorio, *zu* abſolvi*ren ſeyn vvürde, nachdem dieſes zum vvenigſten* probationem ſemiplenam *erfordert, dergleichen aber* hoc caſu *garnicht verhanden, hierüber nicht nur ein einiger Zeuge, die S. nehmlich von dem Hauptvvercke und Verbrechen auſſaget, ſondern auch nur das erſte* Indicium proximum *zu ſeyn ſcheinet, auf vvelchen Fall auf ein einiges dergleichen* Indicium, *nicht einmahl* inquiri*ret, geſchvveige denn der Eyd erkannt vverden ſoll,* quia probata duo indicia proxima tantum aliqualem probationem efficiunt. *Worbey inſonderheit* Deducentin *ſehr vvehe geſchehen vvürde, vvenn ihr bey ihrer Unſchuld die Unkoſten zu tragen mit auferleget vvürden, ob ſie ſchon mit gutem Gevviſſen den Reinigungs-Eyd abzuſchvvehren vermœchte, mit Bitte, alle obervvehnte Umſtænde vvohl zu überlegen und ſodann* Deducentin, cum annexis rationibus decidendi *von der* Inquiſition *und Erſetzung der Unkoſten zu* abſolvi*ren, auch ihr den* Regreſs *an S. vvegen der dadurch* Deducentin *angethanen Beſchimpffung und zugezogenen Unkoſten vorzubehalten, vvormit* cum imploratione Illuſtr. Domini Judicis officii *im Nahmen GOttes zu einem gedeylichen Urtel beſchloſſen vvird.*

J. B. L.

CAPUT

CAPUT VII.
De Coitu nefando ſeu Sodomitico.

§. 1.

Coitus Sodomiticus. Quandoque etiam coitus plane perverſus, nefandus & Sodomiticus a nonnullis, plus quam brutalibus hominibus utriusque ſexus, inſtinctu Satanæ exercetur. Inquit enim L. Cœlius Lactantius *divinar. Inſtitut. Lib. VI. de vero Cult.* §. 23. *Oper. p. m.* 431. *ſeq.* Cum excogitaſſet Deus duorum ſexuum rationem, attribuit iis, ut ſe invicem appeterent & conjunctione gauderent. Itaque ardentiſſimam cupiditatem cunctorum animantium corporibus admiſcuit, ut in hos affectus avidisſime ruerent, eaque ratione propagari & multiplicari genera poſſent. Quæ cupiditas & appetentia in homine vehementior & acrior invenitur, vel quia hominum multitudinem voluit eſſe majorem, vel quoniam virtutem ſoli homini dedit, ut eſſet laus & gloria in coercendis voluptatibus & abſtinentia ſui. Scit ergo adverſarius ille noſter, diabolus, quanta ſit vis hujus cupiditatis, quam quidam necesſitatem dicere maluerunt, eam a recto & bono ad malum & pravum transfert. Illicita enim deſideria immittit, ut aliena contaminent, quibus habere propria ſine delicto licet. Objicitque oculis irritabiles formas, ſuggeritque fomenta, & vitiis pabulum ſubminiſtrat, tum in intimis viſceribus ſtimulos omnes conturbat, & commovet, & naturalem illum incitat atque inflammat ardorem, donec irretitum hominem implicatumque decipit. Ac ne quis eſſet, qui pœnarum metu abſtineret alieno, lupanaria quoque conſtituit; & pudorem infelicium mulierum publicavit, ut ludibrio haberet tam eos, qui faciunt quam quas pati, neceſſe eſt. His obſcœnitatibus animas ad ſanctitatem genitas, velut in cœni gurgite demerſit, pudorem extinxit, pudicitiam flagitavit. Idem etiam mares maribus admiſcuit, & nefandos coitus contra naturam, contraque ju-

ſti-

ſtitiam Dei machinatus eſt, ſic imbuit homines, & armavit ad nefas omne. Quid enim poteſt eſſe ſanctum iis, qui ætatem imbecillam & præſidio indigentem libidini ſuæ depopulandam fœdandamque ſubſtraverint? Non poteſt hæc res pro magnitudine ſceleris enarrari. Nihil amplius iſtos appellare poſſum, quam impios & parricidas, quibus non ſufficit ſexus a Deo datus, niſi & ſuum profane ac petulanter illudant &c.

§. 2.

Committitur autem talis coitus nefandus ſeu peccatum Sodomiticum, ſecundum Bened. Carpzov. *Pract. crimin. Part. II. Qu. 76. n. 9. f.* 210. tripliciter, nempe cum quis venere abutitur aut ſecum, aut cum hominibus aut cum animantibus brutis; Coitus cum homine contra naturam iterum tripliciter committitur: 1) quando maſculus venerem exercet cum maſculo, 2) ſi mulier abutitur venere cum muliere, in eamque libidinem ſuam exercet. 3.) Quando vir cum fœmina præpoſteram venerem exercet, cognoſcendo eam non in membro debito aut non debito modo. Item juxta Paul. Zacch. *Quæſt. Med. Leg. Lib. 7. Tit. 1. Qu. 8. n. 32. fol. 60.* committitur cum compari ſexu, vel non in vaſe naturali, ex quo impoſſibile ſit generationem ſequi; neque ſolum maris cum mare, ſed etiam fœminæ cum fœmina, carnalis conjunctio Sodomiæ peccatum eſt; taleque ſcelus Sodomiticum tam ex S. Scriptura, quam Autoribus profanis notum eſt. Siquidem viri Sodomæ *Geneſ. Cap. 19. v. 5.* ad Lotum clamabant dicentes, ubi ſunt viri, qui intrarunt ad te hac nocte? educ eos ad nos, ut cognoſcamus eos. Talemque coitum prohibuit Deus *Levit. cap. 18. v. 22.* his verbis: Cum maſculo non cubabis concubitus mulieris: abominatio enim eſt hoc. Vel, cum maſculo non dormies concubitu fœminæ. vid. etiam *Cap. 20. v. 21.* Et epiſtol. Paul. ad Roman. *Cap. 1. v. 26. ſeqq.* fœminæ transmutant naturalem uſum, in eum, qui contra naturam: & ſimiliter mares, derelinquentes naturalem uſum fœminæ, exarſerunt

Quomodo committatur.

in prurigine ſua in ſe invicem, ita ut mares in maribus fœditatem patraverint &c.

§. 3.

In utroque ſexu patatur apud Italos,

Coitus Sodomiticus tam in fœminis, quam viris patratus in Italia valde eſſe familiaris & olim maxime in uſu fuit apud Romanos pariter & Græcos, juxta Caſp. Theoph. Bierling. *Theſaur. theor. pract. Caſ.* 31. *Sch.* §. 7. *p.* 407. ubi ita pergit: Johannes a Caſa, Florentinus, Archi-Epiſcopus Beneventanus, Cameræque Apoſtolicæ Decanus, affirmavit, ſe hoc amore plurimum delectari, nec aliam venerem cognoſcere. Beſold. Theſ. pract. verb. *Sodomie & Narren.* Quapropter eandem publico ſcripto prædicavit, edito Venetiis anno 1550. apud Trojan. Nave, ut refert Carolus Molinus in Orat. habit. Tubing. An. 1554. De hoc Johanne Caſo & Italorum Sodomia ſequentia reperiuntur in Thom. Lanſ. *Conſultat. Orat. contra Ital. p.* 845. Ut Sodomam ſcelere omnium turpiſſimo vinceret Italia, Joh. Caſus Florentinus, Archi-Epiſcopus Beneventanus, repertus eſt, qui Sodomiæ laudes Italico carmine concelebraret; in quo nefarius cinœdus illud flagitiorum poſtremum & ſpurciſſimum auſus eſt appellare divinum opus, teſtatus præterea, illo ſe maxime oblectari, nec aliam venerem noviſſe. Liber, qui una cum autore flammis debuiſſet aboleri, Venetiis eſt typis exſcriptus a Trojano Navio. Propterea Franciſcus I. Gallorum Rex poſt commiſſum prælium Papienſe petiit a Borbonio & Lanojo, ne pueros Gallicos, qui capti erant, miles Italicus attrectaret. Quod ut eſt conceſſum libentiſſime, ita mox totis caſtris per tubicines edicto propoſito, plusquam ſexcenti adoleſcentes liberali egregiaque forma Hiſpanorum fidei traditi, quorum pudicitiam deploratam, ſi apud Italos manſiſſent, omnes fatebantur. Franciſcus Picus in Concilio Lateranenſi gravi oratione impudicam pontificiorum vitam reprehendit, indicans, ab impiis quibusdam parentibus Romæ filios Cardinalibus & ſacerdotibus vendi, & Sodomiticæ eorum fœditati

&

& libidini tradi. vid. J. G. Simon *de Impotent. conjugal. Cap.* 2. *Theſ.* 1. *p.* 19. Sixtus IV. ad inſtantiam quorundam Cardinalium poteſtatem illis dedit tribus menſibus æſtivis Sodomiam exercendi, vid. Gerhard. *Tom. V. Loc. Theol. de Eccleſ. Sect.* 8. *p.* 448. Adam Cortrej. *Diſſert. jurid. de Impot. conjug. Th.* 2. §. 1. Mihi ipſi fœminam in noſocomio Patavino in loco obſcuro, vel præpoſtere ob hoc flagitioſum malum commiſſum lue venerea laborantem, talemque fœtorem, ſi linteamina natibus extraherentur, de ſe ſpirantem, ut ferme omnes avolare cogerentur, videre contigit. Non noſocomium, ſed rogus dignum patulæ operculum fuiſſet.

§. 4.

Huc pertinet, quod in Thomæ Lanſii *Conſultat. Orat. contra Galliam pag.* 309. *ſeq.* legimus: In obſcœna veneris alea admodum fortunati Galli, adeoque iſthic prorſus omnino ſunt galli: & cum alii populi jactatis iſtiusmodi talis, vix canem aut ſenionem mittant, illi venerem jaciunt frequentiſſime; quæ tamen inexplicabilibus ſtudiis, nec non infamibus expenſis, ſæpe extremis vitæ periculis conſtat. Equidem averſæ veneris flagitio Galli, & præſertim Maſſilienſes inquinati jam ante plurima ſecula turpisſimo proverbio πλεύσειας εἰς Μασσαλίαν, Maſſiliam naviges, locum fecerunt. Credebantur enim γυναικοπαθεῖν. Atque hunc ſceleratisſimum puerorum amorem molles Græculi cum aliis pluribus ſceleribus tradiderunt non Gallis ſolum, ſed & eodem fœdarunt Hiſpanos, Illyricos, Italos, & ex his maxime Romanos, Germani tamen huic nefando peccato neutiquam erant obnoxii. Itaque Quintilianus pro Mariano milite, qui tribunum pudicitiæ ejus nefariam vim inferre tentantem occiderat, & ad primum ſtatim obſcœnæ libidinis ſermonem ferrum per pectus infandi corruptoris exegerat, verisſime excipit, & meretriciam necesſitatem hoc refellit oraculo: Nihil tale novere Germani; & ſanctius vivitur ad Oceanum. Batavi quoque duce civili propterea

apud Gallos,

apud Hiſpanos &c.

arma vertebant in Romanos; quod illorum liberi impuberes ad ſtupra & muliebrem patientiam a furioſis iſtis naturæ ſexusque temeratoribus revocarentur. Circa canem autem, in hoc Lanſii textu, & ſenionem notandum, latus in talo unitatem continens canem vel caniculam, per ſenionem vero ſex illa in talis vel teſſeris puncta intelligi, quanquam alii ſenionem etiam quaternarium, *das* Quatru, in talis a doctis dici indicent.

§. 5.

apud Romanos, Inquit etiam Philippus Camerarius *Horar. ſubciſiv. Cent. II. Capit.* 42. *p.* 178. Olim tempore Romanorum nonnunquam tam profligatæ pudicitiæ mares inventos fuiſſe, qui ad excitandam libidinem, veſtibus, habitu, & omnibus aliis muliebribus ornamentis vir viro ementito ſexu, ſub quadam falſa muliebri ſpecie nupſerit, & nuptias contraxerit. Et ex Salviano, Maſſilienſi Epiſcopo, addit: Quis credere aut audire etiam poſſet, convertiſſe in muliebrem tolerantiam, viros non uſum ſuum tantum atque naturam, ſed etiam vultum, inceſſum, habitum & totum quicquid penitus aut in ſexus, aut in uſu viri? adeo verſa in diverſum omnia erant, ut cum viris nihil magis pudori eſſe debeat, quam ſi muliebre aliquid habere videantur, nihil viris quibusdam turpius videretur, quam ſi in aliquo viri viderentur. Idem Salvianus etiam deplorat veſaniam eorum, qui ſub fœmineo habitu & velamento viri viris ſecurius nuberent. Cum muliebrem gradum fingerent, cum indicia quædam menſtruoſæ impuritatis ſibi innecterent, atque hoc publice in Civitate Romana. Referente Cajo Suetonio *p. m.* 423. Nero Claudius puerum Sporum, exſectis teſtibus, etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus eſt: cum dote & flameo per ſolenne nuptiarum celeberrimo officio, deductum ad ſe pro uxore habuit. Cretenſes ac Chalcidenſes uſque ſtuporem τὰ παιδικὰ, id eſt, pueriles amplexati amores, juxta Lud.

Cælii

Cælii Rhodig. *Lection. antiqu. Lib.* 15. *cap.* 9. *fol. m.* 55. Et *fol. ſeq.* refert, Tribonium pudicæ ſanctitatis militem, cum ipſi pulcherrimo & in ætatis flore conſtituto inferre vim pararet Luſius, Marii ex ſorore nepos, execratus intempeſtivam hominis libidinem, in eum cooriens interemit: multis vero apud Imperatorem Marium accuſantibus, non ivit inficias, perpetratum a ſe facinus: ſed cur feciſſet, rationem illi comprobavit. At egregius Imperator vinculorum ſanguinis ſponte oblitus, corollam, quæ ſtrenue præliantibus dari aſſueverat, afferri jusſit, protinuſque Tribonio impoſuit. Idem Cælius etiam *l. a. cap.* 10. *fol.* 557. ait: Inter Gallos quandoque malum id inſæviſſe adeo, proditum memoriæ eſt, ut inde nefaria ſanciretur lex; ne cui duxiſſe uxorem liceret, qui prius uxoriam non impleviſſet functionem. Moſſynes Scythas canum more in propatulo concubitum peregiſſe ſcribit idem Autor *l. a. Lib.* 18. *cap.* 30. *fol.* 714. Tartari ſub Bela IV. Hungaria occupata cum Hungarorum & Cumanorum mulieribus ſæpe ferarum more in publico coibant, uti ex Bonfinio refert Franciſcus Boſellus *Amalth. med. hiſtor. Appar.* 2. *p.* 158. ubi ita pergit: quem reſpectum adhibent illi, quorum mulieres & conjuges ſunt communes. Ut puta jam apud Gindanes, Tyrrhenos, Nomades, Limyrnios, Adamites, quos imitantur fraterculi hæretici promiſcuo utentes concubitu lucerna extincta; qualis item reſpectus, dum non ex aſſuetudine, ut moris fuit apud Barbaros quosdam, ſed ex libidinis impetu pater filiæ, filius patri miſcetur, & ſoror fratri, & privignus cum noverca, & gener cum ſocru, ſocer cum nuru, dum ad inſaniam inceſtus, ſtupra & adulteria inhoneſte committuntur?

§. 6.

Sic Alcibiades omnium ætatis ſuæ multo formoſisſimus, affabilis, blandus, temporibus callidisſime inſerviens, ſimul tamen luxurioſus, diſſolutus, libidinoſus, intemperans reperiebatur, ut omnes admirarentur, in uno homine tantam in- *apud Græcos, & alios.*

eſſe diſſimilitudinem, tamque diverſam naturam. Hic ineunte adoleſcentia amatus eſt a multis more Græcorum: in eis a Socrate, de quo mentionem facit Plato in ſympoſio, namque eum induxit commemorantem, ſe pernoctaſſe cum Socrate, neque aliter ab eo ſurrexiſſe, ac filius a parente debuerit. Poſteaquam robuſtior eſt factus, non minus multos amavit, &c. ſunt verba Cornelii Nepotis *N. VII. c.* 2. De hoc Græcorum & Socratis amore ſcribit Johannes Georgius Simon *de Impotent. conjug. cap.* 2. *Th.* 1. *p. m.* 14. *ſeq.* nonnulli non temere exiſtimant, patratum Græcorum ad liberalem magis honorem & amorem eſſe referendum, quo etiam Socrates adoleſcentes ingenioſos complexus eſt, amore puta Græcis communi, qui dicebatur amor amicitiæ. Viri enim in republica clari aut ſapientia doctrinaque præſtantes adoleſcentulos bono ingenio præditos amabant, quo a turpibus vitæ ſtudiis, cum perpetuo illis adeſſent, eosdem abducerent: quanquam ob id Socratem & Alcibiadem non bene audiviſſe dicat Gybert. Longol. *Comment. in vit. Alicibiad.* ſimiliter hunc amorem ſemper ſibi ſuſpectum fuiſſe, & publicam ob id accuſationem ſubiiſſe Socratem, pronunciet Hieron. Mag. *in vit. Alcib. n.* 5. *cum Lucian. in Eunuch. & Diogen. Laert. in vit. Socrat.* Et ſecundum Simonis *l. a.* nefandi hujus ſtupri mentionem facit Curtius, cum Pauſaniam inducit nobilem ex Macedonibus adoleſcentem, quem Attalus (Cleopatræ, uxoris Philippi M. avunculus,) non tantum ipſe ſtupravit, ſed &, tanquam vile ſcortum, libidini convivarum ſubjecit, rege Philippo factum diſſimulante, & nequicquam vindicante: tametſi eundem propter hoc ſuo juſto tempore triſtisſima manſerit Nemeſis. Ægre quippe hanc rem ferens Pauſanias querelam Philippo regi ſæpe detulerat: cum vero variis fruſtrationibus non ſine riſu differretur, & honoratum inſuper ducatu adverſarium cerneret; iram in Philippum vertit ipſum, ultionemque, quam ab adverſario non poterat, ab iniquo

judi-

judice exegit. Nam cum ad ludorum ſpectaculum rex Philippus contenderet, Pauſanias occupatum anguſtiis obtruncat in tranſitu, diemque lætitiæ deſtinatum fœdum luctu funeris facit. Imo ipſiſſimus Philippus Macedoniæ rex Alexandrum, uxoris Olympiadis fratrem, puerum honeſtæ pulchritudinis, in Macedoniam nomine ſororis arceſſit, omnique ſtudio ſolicitatum ſpe regni ſimulato amore ad ſtupri conſuetudinem pepulit, & ita eum impudicum fecit. (*v. Juſtin. Lib.* 8. *c.* 6. *n.* 5. *& ſeqq.*) Ciceroni turpitudinem hanc inimiciter Saluſtius objecit. Syllam vero Romanum Dictatorem, produnt Autores graviſſimi, a primo pubeſcentis ætatis veſtigio in ſcurrarum gremiis per damna venundati pudoris adoleviſſe. Impuriſſimus Domitius Nero Doryphoro liberto, quem Cornelius Tacitus & Dio Pythagoram vocant, ipſe denupſit, ſicut ipſi Sporus, juxta Chriſtian. Matthiæ *Theatr. hiſtor. fol. m.* 501. quo loco etiam Sodomita vel ἀρσενοκοίτης vocatur, hoc eſt, pædico, vel maſculi concubitor, qui cum maſculis vel pueris concumbit. Plura ejusmodi coitus Sodomitici exempla recenſet allegatus Simon *l. c.* eg. Bonzii, Japoniorum ſacerdotes, cum reliquis vitiis, tum præpoſteræ libidini turpiter adeo dediti ſunt, non modo ut id non celent, ſed etiam profiteantur palam, &, tanquam ſanctiorem, conſuetudini mulierum anteponant, a qua religio eos abſtinere jubet: hinc jam, uſu virorum æque ac mulierum aures callum ad tam nefarii ſceleris nomen obduxerunt, permultos itidem habent in cœnobiis filios optimatum inſtituendis literis, quorum ætatis flore abutuntur. Et Petrus Aloiſius Farneſius, Parmæ & Placentiæ Dux, Pauli III. Pontificis Maximi filius, infami libidine æſtuans, Coſmum Gerium, Epiſcopum Faventinum, primo blanditiis fruſtra tentatum, ad extremum ſpecie colloquii in ſecretius cubiculum ſevocatum, ope ſervorum, quamlibet renitentem, compreſſerat, unde ille ex mœrore animi paulo poſt decesſit. Sic Caponi Florentinus ſe iterum in integrum quaſi reſtituit, apud

apud Cardinalem Scipionem Burgheſe, ad quem, a ſe irritatum (cum ſciret execrabili Sodomiæ vitio eum ſingulariter laborare,) puerum formoſum perduxit, blandisque delinitum verbis libidini ejus præpoſteræ ſubjecit: ſingulariter hoc conducente ad conſecutionem pilei, Cardinalatus dignitatis, quam non ita multo poſt adipiſcebatur Caponi. De turpi amore virorum erga viros ementito ſexu ſub prætextu nuptiarum, & falſa fœminarum ſpecie, vid. Philipp. Camerar. *Hor. ſubciſiv. Centur. II. cap.* 42. *pag.* 178. *ſeq.*

§. 7.

Inventores. Nefandi hujus coitus ſeu maſculæ veneris varios inventores nominat Ludovicus Cælius *l. a. cap.* 9. *fol.* 554. *ſeq.* inquiens: Orpheum Thraca principem omnium tanti ſceleris & libidinis deteſtandæ repertorem fuiſſe, ſunt qui ſcribant; quod & Ovidius poſt frequentia Græcorum monumenta carminibus inſeruit.

Ille etiam Thracum populis fuit auctor, amorem
In teneros transferre mares, citraque juventam
Ætatis breve ver, & primos carpere flores.

Tanta erat illorum temporum cœcitas, tantum rationalis naturæ nubilum, adeo immundiſſimi ac nequiſſimi ſpiritus ad libidinem mortalibus illudebant. Spurciſſimæ rei auctor poſt mortem divinitatis opinionem eſt aſſequutus. Sunt tamen qui dicant, Thamyram primum flagitioſis puerorum amoribus, ac præpoſteri concubitus fœditate pollutum, quum cœpiſſet efflictim deperire Hymeneum Calliopes & Magnetis filium. Alii Thaloni Cretenſi inauſpicatæ rei initia contribuunt, qui Rhadamantum adamarit; atque hinc in Græcos alios propogatum ſcelus, etiam Timæus ſcribit. Sunt qui tantæ fœditatis initia non a Cretenſibus omnino propagata ſcribant, ſed ab hoſtica dæmonum fœditate: quos fuiſſe nunc incubos, nunc ſuccubos, alibi probavimus. Nonnulli a Lajo, qui hoſpitio a Pelope exceptus Chryſippum ejus filium ita adamarit, ut ſecum

cum

cum raperet Thebas. Alii v. g. Athenæus & Suidas veneris maſculæ inventum, ſecundum Joh. Georg. Simon. *l. a. p.* 15. in Italos retulerunt, qui belli tempore per leges in caſtris feminas habere prohibebantur, tanquam ſcilicet pueris eo tempore abuti licuerit.

§. 8.

Altera Sodomiæ ſpecies eſt, quando feminæ non cum maribus, ſed cum aliis feminis, & quidem per clitoridem, præter naturam nimis magnam, vel per aliam excreſcentiam carneam, ſatis longam, in vagina uteri prognatam & extra pudendi labia prominentem, quam medici ac chirurgi caudam vocant, ſibi invicem titillationem atque orgaſmum venereum excitant. De tali femellarum flagitio inquit Johannes Georgius Simon *l. cit. Cap.* 2. *Theſ.* 2. *p.* 20. in aperto eſt ac propatulo, multas ex iisdem Quartillæ apud Petronium germanas extitiſſe ſorores, quæ ſubinde Junonem ſuam iratam exoptabat, ſi unquam ſe meminerit virginem fuiſſe, quoniam infans cum paribus inquinata fuit, juxtim & magis prodeuntibus annis majoribus ſe pueris applicuit, donec ad conſummatam ætatem pervenit; ſed etiam quamplurimas execrabili perverſæ veneris vitio laboraſſe adeo, ut una alterius formoſitate capta eandem in uxorem duxerit virilitatem præ ſe ferendo. Mentionem hujus (ipſemet multis Sodomiæ ſuſpectus) facit Plato, inquiens: cum maſculi cum maſculis, aut cum feminis feminæ copulantur, contra naturam eſt. Idem etiam in prohibenda maſcula venere ad beſtiarum naturam provocari poſſe ait, inter quas hujusmodi fœditas haud quicquam deprehenditur.

Coitus feminarum cum feminis.

§. 9.

Talem autem venerem maſculam exercentes feminæ vocantur frictrices, fictrices, fricatrices, ſubigatrices, & tribades. vid. Caſp. Bauhin. *de Hermaphrodit. Lib.* 1. *Cap.* 4. *p. m.* 39. & dictæ feminæ tribades appellatæ, quod utramque venerem exerceant, ſecundum Cælii Aureliani *Morbor. Chronic. Lib.* 4. *cap.* 9.

Frictrices.

p. m. 544. mulieribus magis, quam viris miſceri feſtinant, & easdem invidentia (ſeu ardore libidinis, qui rivalem omnino pati non poteſt,) pene virili ſectantur. Cum vero de his tribadibus earumque coitu, lege divina & humana prohibito, jam in Muliebr. noſtr. *Sect. II. Cap.* 1. varia fuerint adducta, eadem minime hoc loco repetere, ſed potius benevolum Lectorem illuc remittere volumus. Quandoque vero etiam feminæ, maſculam venerem exercentes, aliasque mulieres impraegnantes, non tam tribades, quam perfecti hermaphroditæ fuiſſe videntur; quo pertinet exemplum in Joh. Wolff. *Lection. memorab. Cent. XIV. fol. m.* 600. Quædam ſcilicet mulier, ſtirpe nobilis, forma decens, conditione libera, cuidam diviti matrimonio copulata & puerpera, quandam aliam mulierem, ſimilibus dotibus inſignem, impraegnavit, modo novo ac mirabili patriſſando. Et ex ea duos filios cum progeneraſſet, & tertio infantulo eandem gravidam reddidiſſet, ipſa mulier talis peccati novam deteſtans deformitatem, reatum utriusque palam proteſtata, aliam compulit ad plenariam rei geſtæ confeſſionem. Quæ culpam propriam turpiter palliando, & ſe imprudenter accuſando, ſuam accuſavit genitricem, affirmans, ipſam eodem vitio laboraſſe.

§. 10.

Venus præpoſtera. Ad Sodomiam præpoſteram nonnulli etiam referunt, ſi a viro, vel marito, cum muliere vel propria uxore, vel a mulieribus cum viris, violenter, coacte atque reluctanter venus exerceatur præpoſtera; quamvis quidem ejusmodi homines laſcivos propriam & veram Sodomiam non committere velint multi Doctores morales, definientes Sodomiam, quod ſit peccatum contra ſexum & debitum inſtrumentum; hinc quando aliquis præpoſtere cognoſcat mulierem, ſi non ſervet debitum vas, ſervet tamen ſexum; ergo non committat proprie Sodomiam. Verior tamen ſecundum Joh. Georg. Simon. *de Impot. conjug. Cap.* 2. *Theſ.* 4. *pag.* 37. *ſeq.* 39. eſt opinio in contrarium; cum nulla formalis differentia dari queat inter concubitum cum maſculo &

cum

cum femina in membro præpoſtero obſcœno. Utrinque enim ſemen genitale prolificum perditur, uti & parilis actus abominabilis contraque naturæ intentum ac divinam expreſſam prohibitionem peragitur.

§. II.

De coitu nefando fœtusque per os excluſione ſequentem hiſtoriam, vel ſecundum alios, fabulam recenſet Philippus Salmuth *Obſerv. medic. Cent. III. Obſ.* 94. *pag.* 156. ſcilicet juvenis quædam femina in civitate imperiali, infantem digiti longitudine, maximis cum doloribus ſummoque vitæ periculo per os enititur. Mortuum mulieres adſtantes ſcatulæ includunt & ſepeliunt. Ampliſſimus vero ſenatus poſtquam hoc reſcivit, refodere infantem, eumque in honeſtorum quorundam virorum præſentia aperire jubet, quem omnibus membris humanis, tam internis, quam externis, vere conſtare cognoſcunt, & paulo longioris digiti longitudinem vix excedere deprehendunt. Puerpera ea de re interrogata & examinata conſtanter affirmavit, maritum ſemper cum illa per os coiviſſe & ſperma in fauces immiſiſſe: ſibi (utpote a natura plane ſimplici, ſicque a marito facile perſuaſæ,) primo quidem de alio coeundi modo nihil prorſus conſtitiſſe, donec a vicina, quacum de eo aliquando communicaſſet, aliter edocta fuiſſet, atque ſe ita a marito deluſam poſtmodum animadvertiſſet. Vicina quidem illa & aliis hæc retulit; ſed nulla ipſi ob nimiam & quaſi fatuam mulieris illius innatam ſimplicitatem, fidem adhibere voluit, donec veritatem tempus in lucem eruerit atque eos convicerit. Maritus ſeu impurus potius & ſceleratus ipſe nebulo (qui ſutor fuit,) fuga ſibi conſulens, decem ſeptimanas ante infantis excluſionem, clam uxore (poſtquam hujus abligurierat bona,) militatum abiit; alias forſan rogo impoſitus fuiſſet. Atque hæc ex literis Johannis Komeleri, in conſulis illius civitatis ædibus tum degentis, ut oculati, & fide digni teſtis, ad Gothofredum Hoffmannum affinem & compatrem meum datis, deſcripſi. Hanc

Coitus per os.

obſervationem quam plurimi autores ſuſpectam habent, judicat Thomas Bartholinus *Anatom. renovat. Lib.* 1. *Cap.* 28. *p. m.* 270. præternaturalibus atque rariſſime contingentibus accenſendam eſſe. Plura de hac hiſtoria vid. ejusdem Bartholin. *Hiſtor. anatom. Cent. V. Hiſtor.* 98 *pag.* 181. ubi eandem ab aliis impugnatam defendit. vid. etiam dicti Autoris Tract. *de inſolit. Part. V. Cap.* 9. *p. m.* 59. Caſp. Theoph. Bierling. *Theſaur. anat. pract. Obſ.* 31. *Schol.* §. 8. *p.* 407. Ejusmodi coitus nefandi meminit etiam Ludovicus Cælius Rhodigin. *Lect. antiqu. Lib.* 18. *Cap.* 18. *fol.* 697. inquiens: ne quid omnino, quod mihi lectione compertum ſit, diſſimulem, legi apud Græcos Lesbios fuiſſe in venerem fœdisſimos adeo, ut nequidem capiti parcerent, στόματι μολυνόμενοι, i. e. ore inquinati, quod Theopompus ſignificat, & meminit Stratis. Hanc fœditatem illi excogitarunt, ac in muliere experti ſunt primum. Turpiſſimum hunc Sodomiæ modum eſſe vid. Simon *l. a. Cap.* 2. *Theſ.* 4. *p.* 46. vid. etiam Mich. Albert. *Jurispr. Med. p.* 73.

§. 12.

Coitus cum vacca. Coitum etiam Sodomiticum cum brutis quandoque tam mares quam feminæ exercent, hinc gemellos ſpecie humana à vacca editos annotavit Johannes Rhodius *Obſerv. medic. Cent. III. Obſ.* 58. *p.* 151. Anno ſcilicet 1618. die 12. Maji ad Amplisſimum Conſultisſimumque Virum Jacobum Feſchium, Juris civilis in Academia Baſilienſi Anteceſſorem noſtra memoria perſcriptum fuit, in vicina provincia, quæ Illuſtrisſimo & Reverendisſimo Archiduci Leopoldo Auſtriaco parebat, vaccam gemellos peperiſſe forma humana, qui cum ipſa rogo traditi, viro quodam ſibi fuga conſulente. In Belgio nefarius quidam vaccæ ſe commiſcuit, quæ perfectum & pulchrum puerum poſtea peperit, qui baptizatus pietati ſe addixit, & ſeria pœnitentia patris ſui crimina expiavit. Senſit tamen in animo vaccinas propenſiones paſcendi prata, & herbas ruminandi. vid. Chriſt. Franc. Paullin. *Cynograph. Sect. I Cap.* 3. §. 57. *p.* 59. & Mart. Del-

rio

rio *Diſquiſ. mag. Lib.* 2. *Qu.* 14. *p.* 173. De coitu cum vitulo vid. Joh. Georg. Sim. *l. a. Cap.* 4. *Theſ.* 1. *p.* 83. De viri cum aſina coeuntis forma lapidea, vid. Chr. Frid. Garmann. *de Mirac. mortuor. Lib.* 3. *Tit.* 3. §. 209. *p.* 1199.

§. 13.

De ſimii congreſſu cum femina nota eſt hiſtoria; ſcilicet mulier quædam Luſitana, cum propter commiſſum crimen in inſulam quandam deſertam navi deportata eſſet, cum ſimio, quibus fertilis is locus fuit, conſuevit, duorum ex fera liberorum mater facta. Elapſis aliquot annis, navis eo, dirigente ita Deo, appulſa eſt, hinc cum milites in terram aquatum ex proximo ad antrum fonte exſcendiſſent, & forte fortuna ſimius abeſſet, ad viſendos diu mortales femina occurrit, ſupplicatura, ut facinore ſe & calamitoſisſima ſervitute ereptum irent, illis adſentientibus navim conſcendit; ſed ecce! ſupervenit ſimius, ac inconditis geſtibus & fremitibus conjugem non conjugem revocat; ut vela ventis data videt, concito curſu de liberis unum matri oſtentat, minatur, ni redeat, in mare præcipitaturum; nec ſegniter fecit, quod minatus: tum recurrit ad antrum & eadem velocitate ad littus rediens oſtentat alterum, minatur & demergit, ſubſequitur, donec unde natantem vicere. Rem totam, Luſitania teſte, notisſimam, & a Rege mulierem Ulysſipone addictam ignibus, quorundam precibus vita impetrata lethum cum clauſtro perpetuo commutaſſe ex Fortunio Liceto refert Johannes Philippus Burggravius *Iatric. curioſ. Cap.* 3. *pag.* 43. *ſeq.* vid. etiam Caſp. Bauhin. *de Hermaphrod. Lib.* 1. *Cap.* 10. *p.* 111. & Martin. Delrio *Disquiſ. magic. Lib.* 2. *Qu.* 14. *p.* 172. ubi addit, dictam mulierem, cum in inſula expoſita fuiſſet, ſimiorum agmen circumſtetiſſe fremebundum, ſuperveniſſe unum grandiorem, cui reliqui loco ceſſerint; ab hoc mulierem blande manu captam in antrum ingens abductam, eique cum ipſum, tum cæteros copiam pomorum, nucum radicumque variarum appoſuiſſe, & nutu, ut veſceretur, invitaſſe: tandem a

cum ſimio.

fera coactam ad ſtuprum: facinus hoc multis diebus continuatum, adeo ut duos ex fera liberos ſuſceperit, ita miſeram victitaſſe per aliquot annos, donec Deus miſertus navim eo Luſitanam detuliſſet. Refert etiam modo allegatus Bauhinus *p.* 110. Indos ſimias rufas in urbes non adducere, quod libidine inflammatæ in muliebrem ſexum furentes ſint, ac ſi quando deprehendant eas, tanquam adulteros odio proſequentes interficere.

§. 14.

cum urſis, Reges Gothicos ex urſo & virgine nobili ortos fuiſſe, nonnulli referunt; nam in agro Suecico urſus virginem rapuit, & cum eam compresſiſſet, prægnantem reddidit, uti narrat Saxo Grammaticus, & ex hoc Franciſcus Torreblanca *de Magia Lib.* 2. *Cap.* 31. *p.m.* 260. vid. etiam Delrio *l. a. p.* 173. de hoc virginis cum urſo congreſſu ita ſcribit Chriſtianus Franciſcus Paullini *Cynograph. p.* 59. Suecicam virginem ex urſo gravidam filium peperiſſe, cui a parente urſi nomen impoſitum, ſcimus ex Saxon. Grammat. *L.* 10. *Hiſt. Dan. &* Ol. Magno *L.* 18. *c.* 30. Dæmoni id imputat Delrio *Lib.* 2. *Disquiſ. mag. Qu.* 14. Centur. Magdeb. *C. X. cap.* 13. *p.* 639. hiſtoriam hanc inter Ovidii Metamorphoſes reponunt, addunt tamen: raptorem iſtum fuiſſe hominem, nomine Biorn, ut in Borea vocant urſum. Quæ ſententia etiam eſt noſtra & Cl. Stephanii *in Not. ad Saxon. Grammat. p.* 210. Credibile tamen ex urſo imprægnari poſſe virginem; ſunt enim ſequioris ſexus amantisſimi. vid. etiam Caſp. Bauhin. *de Hermaphr. Lib.* 1. *cap.* 10. *p.* 110. *ſeq.*

§. 15.

cum capra. De paſtoris cum capella initu admirabili, deque inde nato fœtu ſcribit Ludovicus Cælius Rhodig. *Lect. antiquar. Lib.* 25. *cap.* 32. *fol. m.* 984. fuiſſe apud Sybarin paſtorem nomine Crathin, comperi, qui in venerea proclivior, capellam (ſicut ei viſum) omnium formoſisſimam deperire amplius cœpit: quumque libidinis incentivo acrius exſtimularetur, eam mire prorſus inibat,

inibat, ac frequenter, demumque uti amicam grate amplexabatur, nec citra ſuaviationem crebram. Quin, quod ſequens quodammodo eſt, capellarius amator, quibus illam capi præcipue opinabatur, munuſcula identidem objiciebat, pabulum videlicet lætius amœniusque, ut quo etiamnum ſuavior illi fieret anima, quam labellis labella implicando, forteque proſerpentem etiam reddendo beſtiam, haurire univerſim, ac medullitius affectabat. Inſuper ſtibade accubitisque molliculis haud neglectis, quibus velut nympha decumberet, quieti operam impertiens. Interim, qui fuit caprarius ductor ac ceu anteſignanus hircus, hæc contemplatus, neglectui haud quaquam ſibi cenſuit habenda, zelotypia concitatus tanquam œſtro vehementiore. Sed aperta vi imparem ſe conjectans diſſimulandam doloris acerbitatem tantisper eſt arbitratus, donec ulciſcendi commodior præſtaretur occaſio, quæ & oblata mox eſt, dormientem quippe conſpicatus, ſubſidendi locum arripuit ſtatim, ac quanto maxime valuit impetu, in hoſtem irruens ſinciput ei alliſit. Ex concubitu autem brutino natum ferunt infantem, cruribus matrem qui referret, facie vero patrem. v. etiam Cl. Ælian. de *Anim. Lib.* 6. *c.* 42. *fol.* 133. Philip. Camerar. *Hor. ſubciſiv. Cent. I. cap.* 72. *p.* 326. Aliquando malitioſo diaboli dolo abominabile illud peccatum, quod Sodomæ juſta ira divina pluvia igneo-ſulphurea puniebat, a ſemibrutalibus libidinis mancipiis exerceri, occaſione ſequentis obſervationis ſtatuit Gabriel Clauderus *M. N. S. Dec. II. An.* 7. *Obſ.* 171. *p.* 328. *ſeq.* Anno 1688. in pago Schlehenhayn ſub Præfectura Bornenſi capra, quæ antea aliquoties pepererat fœtus ſuo generi conformes, modoque a natura inſtituto, excludit fœtum mortuum humano quoad plurima ſimillimum, ſcilicet penitus nudum, & quoad cutem album; caput rotundum, rotundas gerebat aures; loco oculorum foveæ præſentes aderant, ut ita plenariam nondum obtinuerint perfectionem, vel fœtus aliquot jamjam diebus in utero erat mortuus; ſiquidem

poſtica

poſtica ſui parte ad putredinem inclinabat; pedum & manuum, vel quatuor pedum extremitates ad caprinam fere accedebant figuram. Ludit equidem natura errans in conceptionibus monſtroſis, maxima tamen hoc in caſu ſuſpicio accuſare videtur coitum humanum. Dictæ Præfecturæ Bornenſis Ephorus, Elias Lieblerus, vir honeſtus & curioſus, hærebat dubius, num ob Sodomiticum facinus inquireret; cum autem ſuſpicio in nullum capræ viciniorem cadere poſſet, inquiſitio omittebatur. Hircum cum muliere coiviſſe ex Herodoto refert Caſp. Bauhinus *de Hermaphrod. Lib.*1. *C.* 10. *p.* 110. ubi plura.

§. 16.

cum cane. Mulieres furore uterino laborantes nonnumquam enormem atque brutalem concubitum efflagitare, probat Felix Platerus *Prax. Medic. Lib. 1. cap. 3. p. m. 101.* & quidem exemplo mulieris, quæ ex diuturno mariti morbo, propter ſeminis retentionem in hunc affectum inciderat, & canum congreſſum appetebat. Romæ Alexandro Pontifice claves eccleſiæ moderante mulier ex canis concubitu ſemicanem enixa traditur, vid. Joh. Lang. *Epiſtol. Medicin. Lib. 2. Epiſt. 8. p. 534.* Idem confirmat Claudius Ælianus *de Animalib. Lib. 8. cap. 19. fol. m. 156.* Romæ, inquiens, mulier adulterii accuſata a marito fuiſſe dicitur. Adulter in judicio canis eſſe prædicabatur. Canes enim cum mulieribus veneris conſuetudinem habere deprehenſi ſunt. Refert Thomas Bartholinus *Hiſtor. amat. Cent. V. Hiſt. 87. p. m. 166. ſeq.* ſibi pro vero narratum fuiſſe in aula Ducis Montmoranci in Gallia ex cane filiam natam cuidam feminæ, (quæ cum cane Melitenſi in lecto luſitare conſueverat,) eleganti forma, & matri ſimiliorem, quam patri, nam nihil caninum præ ſe ferebat, niſi quod in lecto ſe volutaverit. Mater cum cane rogo adjudicati. Filia vero nupſit, qui cum inter domeſtica litigia, canem ipſi patrem exprobraſſet ad mortem compulit. Roccus Arminenſis Patavinus Attilam Hunnorum regem cane patre natum fingit, quem cum matre virgine pulcherrima

ſolum

ſolum ad pudicitiæ cuſtodiam turri incluſerat Oſdrubaldus Rex. vid. Th. Bartholin. *de Unicorn. cap.* 2. *p.* 24. Hæc tamen relatio ſuſpecta eſt Caſparo a Reies *Elyſ. jucund. Quæſt. Camp. Qu.* 45. *n.* 34. *p. m.* 553. ubi inquit: Nec recipi debet, nec vera judicari, quæ de Attila Hunnorum rege, vulgo Flagello Dei nuncupato, antiquorum hiſtoriæ proferunt, eum nempe ex muliere ortum a cane conſtuprata. Idem ſentit etiam Chriſtianus Franc. Paullin. *l. a.* his verbis: Attilam Hunnorum regem ex muliere a cane conſtuprata ortum tradunt Hiſtorici, ſed figmentum videtur. Nam apud Jordanum, (vulgo Jornandem) Nauclerum & Callimachum Attilæ pater Mundizuccus, ſeu Mundiuchus, vel Mundizius aut Mazuchus nominatur. Conſtans etiam traditio Peguſianos & Siniatos, Jndiæ gentes, originem duxiſſe a cane, qui cum puella naufraga corpus miſcuerat. Iſibordi ab Amelunxen frater novit feminam opilionis, quæ rem habuit cum Meloſſo, exque eo ſuſcepit duos catulos, ope dæmonis. *v. M. N. C. Dec. II. An.* 4. *App. p.* 193. Cui aliud exemplum annectit Chriſtianus Franc. Paullini de ancilla Schwabſtetenſi, quæ anno 1600 in ducatu Slesvicenſi a cane Anglico imprægnata tres peperit catulos. Glaucam citharœdam a cane amatam fuiſſe audio, ſcribit Claudius Ælianus *de Animal. Lib.* 1. *cap.* 6. *fol. m.* 4. Anno 1493. ex muliere & cane fœtum genitum monſtroſum ex Volaterano adducit Caſparus Bauhinus *de Hermaphrod. Lib.* 1. *c.* 9. *p.* 110. De muliere, quæ a cane imprægnata ſemicanem, manibus videlicet pedibus & auriculis caninis peperit, vid. Joh. Georg. Simon *de Impot. conjugal. cap.* 4. *Theſ.* 1. *pag.* Horrendum ſane eſt conſilium, quod cuidam principi apud Perſas, Emir dicto, a medicis contra contracturam univerſalem datum fuit, nimirum, ut cum magna cane coitum exerceret, juxta verba Adami Olearii *Itiner. Perſic. Lib.* 3. *fol. m.* 481. *nehmlich er hat mit einem groſſen Hunde oder Tiſſe, welche ihm,* ſalvo honore, *vorgehalten worden, zu thun haben müſſen.*

§. 17.

§. 17.

cum equa. Sodomiam cum equis & æquabus ſæpius exerceri, varia teſtantur Acta in Judiciis reperiunda & Reſponſa Juridica. vid. Joh. Henr. Berger. *Reſp. Part. II. Reſp. CXLIV. fol.* 243. Semiramin abominabili probro equum adamaſſe, refert Henricus Salmuth. *Comment. in Pancirol. de Reb. perdit. Lib.* 1. *Tit.* 10. *p.* 177. Secundum Caſp. Bauhin. *de Hermaphrod. Lib.* 1. *cap.* 9. *p.* 108. *ſeq.* narrat Plutarchus *in Convivio ſapientum*, in domo Periandri a paſtore infantem ex equa & homine natum allatum fuiſſe: cujus caput, collum & manus hominis eſſent, cætera equi, ejulatus infantium. Idem tradit, Fulvium Stellum muliebri odio equæ ſe commiſcuiſſe, quæ puellam formoſam pepererit, quam Hipponam appellarunt. Item *p.* 109. inquit idem: Ariſton nobilis Epheſius juvenis, mulierum genus exoſus, ex aſina puellam formoſiſſimam ſuſcepit.

§. 18.

cum piſcibus. De coitu cum piſcibus vel ſirenibus ſequentem fabulam narrat Jan. Mocquet *Itinerar. oder Reiſe-Begebnüſſe Lib.* 4. *p. m.* 202. *Dieſer Fiſch, die* Peſce-Mulier *oder* Sirenen, *in Geſtalt gleich einer Frauen, ſonſten von anmuthig-lieblicher Geſtalt, halb gerades ſchœnen Leibes, deſſen Bauch und Unter-Theil bis an den Nabel weiblichen Geſchlechts; auf dieſe ſind die Mohren, die auf den Perl-Fang ausfiſchen gehen, gar begierig, auch über alle maſſen ſehr in ſie verliebet: Wie ſie denn geſtehen, daſs, wenn ſie mit denenſelbigen Gemeinſchafft haben, und ſie überkommen kœnnen (welches ſelten geſchiehet,) an ihnen ſich dermaſſen ergœtzen, daß, als wenn ſie neu gebohren wæren, oder neue Lebens-Kræffte empfangen hætten, anfangs ſcheinen; hingegen aber an denenſelben, wegen geiler Luſt und hitzigen Begierden ſich alſo verunreinigen, bis ihr gantzer Leib zu einem Gifft und Auſſatz worden. Ja ſie ſeynd auch ſo entzündet, daß ſie auch derer Todten nicht verſchonen. Daher ſie einen ſchweren Eyd abſtatten müſſen, bey Verluſt ihres Lebens an ſolchen Waſſer-Frauen oder Meer-Geſchœpffen, dadurch offtmahls ein gantz Ge-*

ſchlech-

ſchlechte und Land angeſtecket wird, ſich nicht zu vergreiffen, noch einige Gemeinſchafft mit denenſelbigen zu pflegen.

§. 19.

De quæſtione, an ex virilis humani ſeminis cum brutali per nefarium coitum commixtione, aut econtra, an ex brutalis maris cum muliebri humano ſeminis commixtione poſſit verus homo generari? vid. Joh. Bapt. de Wenck *Diſſert. Ephemerid. Acad. N. C. Centur. IX. & X. Append. p.* 552. vid. etiam Franc. Torreblanc. *de Magia Lib.* 2. *cap.* 31. *p.* 260. Joh. Conrad. Peyer. *Merycolog. ſive de Ruminat. Lib.* 1. *cap.* 5. *p.* 57. Chriſt. Franc. Paullin. *Cynograph. Sect. I. cap.* 3. §. 57. *p.* 59. *an homo exinde naſcatur?*

§. 20.

De coitu mariti cum uxore peſte infecta lethi fero obſervationem recenſet Petrus Foreſtus *Obſervat. medic. Lib.* 6. *Obſ.* 20. *fol. m.* 179. Uxor ſcilicet vitrarii peſtifero bubone infecta erat ſub axillis, vix febricitabat, neque decumbebat, nullis remediis utebatur, nec viro ſuo aut alteri morbum manifeſtabat, imo malum celabat; interea peſte correpta cum marito nocte concubitum iniit. At vir hujus rei ignarus illico bubonem quoque ſub alis ſenſit; &, quod dictu mirum eſt, uxoris bubone jam deliteſcente, & illa ipſa ſine remediis evadere videtur, quod vir ſpongiæ inſtar venenum ab uxore contraxerit. Sed bubone in viro admodum maligno magis magisque increſcente, tandem ſomniculoſus factus obiit. Aliam hiſtoriam refert Isbrandus de Diemerbrœc *Tract. de Peſt. Lib.* 4. *Hiſt.* 7. *fol. m.* 192. de Petro de Wildt, qui uxorem ſuam peſte jam correptam, & bubonem in inguine habentem (quod malum tamen ipſa celabat) inivit, atque ab ipſa ſtatim peſtem contraxit; ſequenti autem nocte ambo extincti ſunt. In ancillam Amſtelodamenſem, quæ peſte tribus locis affecta, & in hortum deportata, juveni amatori, cui deſponſata erat, ſingulis noctibus condormivit, & illæſo juvene convaluit, ſequens Epigramma legitur in Johannis van Beverwic *Schatz der Ungeſundheit Cap.* 2. *fol. m* 312. *c. femina peſte infecta*

Incubuit tactam non una peſte puellam
Sponſus & ægrota virgine prurit amans,
Figit pallidulis rorantia baſia labris,
Et media partes morte precantis obit.
Non juveni fuit ancillæ facere illa moleſtum,
Nec fuit ancillæ res gravis iſta pati.
Ite procul medici. Non ſunt medicamina peſti,
Sanatur ſponſo ſuccuba ſponſa ſuo.

Aliud poemation, quod in ſtupendum & admirabilem hunc caſum, qui in Hollandia tempore peſtis anno 1636. contigit, ſub titulo, de Peſte Venere curata, ſcripſit Vincentius Fabricius *M. N. C. Dec. I. An.* 2. *Obſ.* 188. *p* 286. Longe infelicius fatum cum glycerio ſuo anno 1680. Haynæ experiebatur chirurgus peſtilentialis, qui per totum fere contagionis tempus perfecte ſanus omnibus peſte infectis indefeſſum de die exhibebat ſervitium, de nocte vero in ſuburbii horto, cum puella non deformi, ipſi durante hoc tempore deſponſata, concumbebat; donec tandem puella bubone in inguine prorumpente, ipſum chirurgum, ſummam ipſi hujus mali curam agentem, atque ex nimia ſecuritate & confidentia cum amaſia ſua condormientem peſte quoque inficeret, qui etiam tertio, poſt ſponſæ ſuæ mortem, die pariter obibat. *Obſervatio.*

§. 21.

cum cadaveribus. Interdum etiam cum feminarum, peſte vel aliis morbis defunctarum, cadaveribus nonnullos execrando modo coitum exercuiſſe, teſtantur autores, qualia exempla bina in Spermatolog. noſtr. *Cap.* 5. §. 69. *p.* 297. recenſuimus, & quidem alterum de veſpillone, qui virginem noctu peſte extinctam, mane iniit & indemnis evaſit. vid. Chr. Frid. Garmann. *de Miracul. Mort. Lib.* 2. *Tit.* 2. §. 37. *p.* 363. alterum vero ex Franc. Mercur. van Helmont *Alphab. Natur. Colloq.* 5. *p.* 44. de duobus equitibus, qui forte fortuna domum aliquam ingreſſi cum inventa in ſtramine ſuo femina mortua concumbere non fuerunt veriti: e quibus alter

qui-

quidem non iterum comparuit, alter vero per menſem & quod excedit carro vectus turmam ſecutus eſt, ob fœdisſimum nempe ex facto illo contractum morbum, qui eum quoque e vivis ſuſtulit. Totum autem corpus ejus undiquaque magnis ſcatebat tuberibus, ex quibus apertis vivi prorepebant vermes ejusdem ſpeciei cum illis, qui e putreſcentibus demortuis prorepere ſolent. Aliud exemplum juxta Joh. Georg. Simon. *de Impotent. conjug. Cap.* 2. *Theſ.* 4. *n.* 15. *p. m.* 43. habemus in Dimoete, qui dum in cadaver mulierculæ cujusdam formoſæ, a marinis fluctibus ejectæ, incidiſſet, cum illa rem habuit, donec ob longum ſitum marceſceret. Illi ergo domum exſtruxit, ſeque ibidem præ dolore mactavit. Aliud paradigma videmus in Sigismundo Malateſta, qui non exigui partæ Æmuliæ imperitavit, quæ nunc eſt Romaniola; hic incenſus forma cujusdam Teutonicæ matronæ, Romam e terra Germanica proficiſcentis, piaculorum gratia, utque divorum templa Petri & Pauli viſitaret, eam ſuos per fines iter facientem aggreſſus, cum nulla ratione vim vitæ afferre posſet, jugulavit, jugulatamque cognovit; qui poſtea juſtisſimo divinæ majeſtatis judicio a filio ſuo Roberto, cui ſtuprum inferre conabatur, ſtricto pugione interfectus fuit. Imo tantus extitit cadaverum apud Ægyptios abuſus, ut funerum quoque curatores ſive ſalinarii cum illis venerem exercerent, quorum corpora ſepulturæ mandanda acceperant; propter quam injuriam apud Ægyptios quoque mos inolevit, ut corpora ſepulturæ curatoribus quarto die duntaxat poſt mortem crederentur: ut fœtor ab ejusmodi injuria mortuorum corpora defenderet, uti ex Herodoto refert dictus Autor. Et juxta Lud. Cæl. Rhodig. *Lect. antiqu. Lib.* 18. *cap.* 37. *fol.* 722. apud Ægyptios ſalinariis mox condiendum traditur cadaver, quum odoribus, tum etiam ſale; muliebre corpus domi diutius aſſervatur, ne venerea fœditate a ſalinariis inquinetur, quod experimento cognitum quandoque eſt. Bina coitus cum mortuis feminis exempla paulo infra de Pœna §. 33. referuntur.

§. 22.

cum Dæmone. Execrabilius & longe fœdius, juxta Chriſtoph. Cruſ. *Tr. de Tortur. Part. II. cap.* 19. *n.* 23. *fol.* 78. flagitium eſt, quod execranda cupiditate feminæ cum impuro ſpiritu committunt, qualia exempla utriusque ſexus hinc inde ab autoribus narrantur. Coitum diaboli per triginta quinque annos frequentem cum muliere, nulla veneficii opera exercente, annotavit Gabriel Clauderus *M. N. C. Dec. II. An.* 6. *Obſ.* 172. *pag.* 348. Cui tamen Samuel Ledelius *l. a. An.* 9. *Obſ.* 7. *p.* 15. *ſeq.* in tantum contradicit, quod coitus diabolicus nunquam absque veneficio exiſtat. vid. Cruſ. *l. a. fol.* 78. *&* 79. Joh. Georg. Simon. *de Impotent. conjug. Cap.* 5. *Theſ.* 2. *p.* 96. *ſeqq.* Phil. Camerar. *Oper. Horar. ſubciſiv. Cent. I. cap.* 70. *p.* 310. *ſeq.* Hier. Cardan. *de Rer. Variet. Lib.* 15. *cap.* 80. *p. m.* 971. *ſeq.* Chriſt. Frid. Garmann. *de Mirac. Mortuor. Lib.* 2. *Tit.* 5. *p.* 487. Joh. Wier. *Oper. Lib.* 3. *de Lamiis cap.* 28. *ſeq. p.* 250. *ſeq.* Nicolaus Remig. *Dæmonolatr. Lib.* 1. *cap.* 6. *p. m.* 52. *ſeqq.* 61. *ſeq.* 65. De quæſtione, an per dæmones incubos & ſuccubos detur hominum vel monſtrorum procreatio? vid. Jac. Sprenger. *Malleus Malefic. Part.* I. *Qu.* 3. *p. m.* 37 *ſeq.* Se diavoli poſſano generare come molti credano? vid. la Cominare oriccoglitrice di Scipione Mercurio *Lib.* 2. *cap.* 38. *p. m.* 319. *ſeq. edit. German.* D. *Gottfr. Welſchens p.* 52. *ſeq.* Hermann. Frid. Teichmeyer *Medicin. legal. Cap.* 13. *pag.* 92. *ſeq.* Joh. Georg. Simon *de Impotent. conjug. Cap.* 5. *Th.* 2. *p.* 97. *ſeqq.* 102. *ſeqq.* Mart. Delrio *Diſquiſ. mag. Lib.* 5. *Sect.* 16. *p.* 786. Greg. Horſt. *Oper. Tom. I. fol. m.* 126. Mich. Albert. *Jurisprud. med. Cap.* 5. §. 18. *p.* 115. *ſeq.* 117. Ephem. Acad. N. C. *Cent. III. & IV. Obſ.* 130. *p.* 294. *ſeq.*

§. 23.

an ſint fabulæ? Quid autem de ejusmodi hiſtoriis fabuloſis atque diabolicæ commixtionis figmentis ſit ſtatuendum, cuilibet liberum relinquo. Interim tales concubitus dæmoniacos nonnulli autores diaboli illuſionibus, vel potius amantium ex orgaſmo venereo vel furore uterino depravatæ phantaſiæ non immerito adſcribunt. vid. Joh. Fichard. *Conſil. Tom. II. Conſ.* III. *fol. m.* 209. *b.* Henr.

Korn-

Kornmann. *de Jur. Virgin. cap.* 35. *p. m.* 103 *ſeq.* ubi de quæſtione, num ab incubo infeſtata virgo amittat virginitatem? prolixe agit. Sic Nicolaus Remigius *l. a. p.* 63. inquit: Cum conjugium ad vitanda ſtupra procreandamque ſobolem ſit inſtitutum, neutrius autem indigeant dæmones, quod nec venerearum libidinum illecebris trahantur, nec liberorum deſiderio aliquo afficiantur: dolos, machinas, fallacias & præſtigias hæc omnia eſſe oportet. Et *p.* 74. ait: Probabilior videtur eorum ſententia, qui negant dæmonum ex mutuatitio ſemine generationem. Quanquam ſcio, qui contra ſenſerint, autores gravisſimos, a quibus diſſentire parum tutum videretur, ſi hæc eſſet de religione rebusque ſacris contentio. Johannes Georgius Godelmannus *de Magis Venefic. Lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 32. *p. m.* 142. talem coitum pro imposſibili habet: Lamiæ, inquiens, aut fatentur posſibilia, videlicet ſe homines & jumenta ſortilegiis & magica arte interfeciſſe, & hoc ſi conſtat, absque ulla dubitatione, juxta 109. conſtitutionem Carolinam, ſunt comburendæ: aut fatentur imposſibilia, ſcilicet ſe per anguſtum foramen in aerem volitaſſe, in beſtias fuiſſe transmutatas, cum diabolo venerem exercuiſſe, & non ſunt ob id puniendæ, ſed verbo Dei melius inſtruendæ &c. Hieronymus Cardanus ex Franciſco Mirandula bina exempla, alterum de Benedicto Berna, alterum de Pinneto narrat, quorum ille ſacerdos ex his, quos presbyteros vocant, annorum ſeptuaginta quinque annis plusquam quadraginta cum dæmone familiari ſub forma feminæ illi aſſociato, concumbebat, in forum deducebat, alloquebatur, adeo ut adſtantes, qui nihil videbant, eum pro fatuo haberent. Vocabat autem illam Hermelinam, quaſi mulier eſſet. Alter Pinnetus nomine, qui ad octoginta & amplius annos pervenerat, cum dæmone alioqui muliebri forma ei videbatur, (vocabatque eum Florinæ nomine,) plusquam quadraginta annis venereas voluptates exercuiſſe dicitur. Mirandulæ vero veritatem in dubium vocat Cardanus ſequentibus verbis; Hic vir alioquin non admodum prudens, & nimium quorundam

Platoni-

Platonicorum figmentis addictus mendacia monachorum, vulgi famam, muliercularum nænias fabellasque aureo aſino dignas ſanctis Philoſophiæ ſermonibus immiſcuit, totamque artem fœdisſime conſpurcavit: nec Peripatheticus usquam, nec ſatis hac in parte Chriſtianus, nec Platonicorum celebrium, e quorum grege ſe unum fore exiſtimavit, placitis conſentiens. Eo igitur factum eſt, ut delectare potius lectores atque allicere, quam ſerio tractare quicquam viſus ſit. Sed & beatus Auguſtinus a tam abſurdis narrationibus ſi abſtinuiſſet, licet forſan pauciores habiturus lectores, gravioris tamen viri opinionem nactus fuiſſet apud eruditos. Sed ea fuit ſeculi labes, ut plurimi, velut nunc de regno, ſic grandioribus mendaciis decertarent: quæ ille vir ſanctus pro veris accipiens, ac quaſi æmulatione gentilium figmentorum, libris ſuis inſeruit. Et ſecundum Joh. Wier. *l. a. p.* 257. Benedictus Berna ſacerdos & Pinnetus a diabolo deluſi fuerunt, qui mentem utriusque ita vitiavit, in illorum phantaſiam illapſus, quam imagine charæ mulieris imbuit perpetua: qua ſibi valde delectati facilius in errorem induci potuere. Nam & D. Auguſtinus ſcribit, quendam tacita animi intentione cujusdam feminæ imaginem expendiſſe, ut rem ſibi cum ea vigilans habere videretur. Huc referri poteſt exemplum a maleficio, quod recenſet Jacobus Sprengerus *in Malleo Maleficar. Part. II. Qu.* 2. *Cap.* 1. *p. m.* 373. Eſt, inquiens, in civitate Confluentiæ pauper quidam ſic maleficiatus, quod in præſentia uxoris omnem actum venereum, prout viri cum mulieribus agere ſolent, etiam repetitis vicibus per ſe exercet, nec ab illis ad inſtantiam & ejulatum mulieris averti poteſt, quia uno aut tribus actibus expletis, verba replicat: volumus iterum de novo inchoare; cum tamen nulla perſona corporali viſu cernatur ei ſuccumbere, fitque ut poſt diutinas hujusmodi vexationes pauper ille colliſus in terram omnibus viribus deſtituatur; Et dum poſt aliquarum virium recuperationem interrogatur, quomodo & qualiter iſta ſibi contingant, & anne perſonam ſuccumbentem habuerit? reſpondere

ſpondere ſolet ſe nihil videre, ſed ita mente captivatum, ut omnino abſtinere non valeat, & quidem ſuper hoc maleficium mulier quædam plurimum habebatur ſuſpecta &c. Congreſſus dæmonis cum muliere imaginarius judicatur a Joh. Wiero, *Oper. Lib.* 3. *cap.* 19. *p.* 228. *& cap.* 20. *p.* 230. Sic perſona quædam viginti circiter annos nata, melancholicam & veneficam ſe ſimulans, ultro ſeſe offerebat incarcerandam & extremo ſupplicio afficiendam, his ex cauſis; quoniam non ſolum paucis abhinc annis binos pueros, germanos fratres ſuos, interfeciſſet, verum etiam cum cacodæmone ſub forma canis venatici rem habuiſſet & dracones peperiſſet &c. referente Joh. Georgio Hoyero *Ephem. Acad. N. C. Cent. VII. & VIII. Obſ.* 78. *p.* 184. Et ſecundum Viti Riedlini Fil. *Obſerv. med. Cent. Obſ.* 83. *p.* 193. virgo quædam octodecim annorum ex menſium ſuppreſſione in melancholiam incidebat, atque non ſolum vigiliis continenter inſtantibus totas ſemper noctes inſomnes ducebat, ſed & cum diabolo ſe rem habuiſſe fingebat, hincque tanta de ſalute æterna dubia proferebat, ut & doctis in iis ſolvendis negotium faceſſeret. Hinc Riedlinus præmiſſo purgante, plethoricæ ex venis primo in bracchio, hinc etiam in pede apertis, haud parvam ſanguinis quantitatem educi juſſit, pulveremque ad menſium obſtructionem ordinavit, qua ſublata nil quicquam poſtea mala ſenſit. An etiam virgo vel vidua ex diabolo poſſit concipere molam? vid. Joh. Bapt. de Lamzweerde *Hiſtor. natural. Molar. uteri cap.* 22. *p. m.* 187. *ſeq.* ubi varia huc pertinentia reperies. De ſagarum cum diabolo infernali & aliis ſociis commeſſatione, tripudiis & concubitu aliisque ejusmodi inſomniis vid. Joh. Caſp. Weſtphal. *Patholog. Dæmon. p.* 54. 79. *ſeq.* Judicium de ſagis & magis *Ephemer. A. N. C. Cent. IX. & X. p.* 560. *ſeqq. p.* 570. Joh. Bodin. *Magor. Dæmon. Lib.* 2. *cap.* 4. *&* 5. *p.* 152. 155. *ſeqq.* 160. *ſeqq.* 166. *ſeqq.* 172. *ſeqq.*

§. 24.

Coitus cum ſtatuis.

De coitu cum picturis & ſtatuis vid. Joh. Georg. Simon. *l. a. Cap.* 2. *Theſ.* 4. *p.* 43. *& p.* 46. refert idem, incolas Sodomæ, & reliquarum a Deo everſarum civitatum incolas, non ſolum

cum quibusvis generis animalibus, brutis & pueris rem habuiſſe, ſed & cum lignis & lapidibus, carneque cruda perforatis: in quorum omnium defectu impuriſſime parietis aut terræ antris inutiliter provocatum ſemen genitale commiſerunt. De Tiberii arcanis & fœdis libidinibus ſcribit Cornelius Tacitus *Annal. Lib. 6. p. m.* 100. quod ſæpe in propinqua digreſſus, aditis juxta Tiberim hortis, ſaxa rurſum & ſolitudinem maris repetierit, pudore ſcelerum & libidinum: quibus adeo indomitis eexarſerat, ut more regio pubem ingenuam ſtupris pollueret, nec formam tantum & decora corpora; ſed in his modeſtam pueritiam, in aliis imagines majorum, incitamentum cupidinis habebat &c.

§. 25.

Sodomiæ pœna varia. Denique ſicuti Sodomiæ diverſi dantur modi atque gradus, ita etiam graduales ejusdem apud autores annotantur pœnæ, cumque, ut ſupra ex Bened. Carpzovii *Pract. Crim.* triplicem Sodomiam, aut ſecum aut cum hominibus, aut cum brutis adduximus, ita quoque triplici pœna hujus criminis reos puniri, moribus Saxonicis receptum eſſe, ibidem addit, hancque pœnæ diverſitatem tribus diſtinctis regulis explanat. Prima regula eſt: Quicunque venerea ſecreto ſecum exercent, relegatione aliave pœna extraordinaria puniri debent. Secunda regula: Qui venere abutitur cum hominibus coeundo contra naturam, uſu naturali relicto, capite truncandus eſt. Tertia regula eſt: Homo cum bruto aliquo animali ſe commiſcens & venerea exercens, inſimul cum animali debet comburi. Quia autem prima ſpecies, pollutio ſcilicet ſeu manſtupratio, ſecundum quosdam autores, Sodomiam non ſapere dicatur, ſed Sodomia proprie ſit coitus cum alio ſubjecto quodam, homine vel bruto animante, contra naturam habitus; potius de ſecundæ & tertiæ ſpeciei pœna hoc loco agemus, ſiquidem in variis ſacræ ſcripturæ locis nefandum hoc ſcelus capitali pœna prohibitum legimus. e. g. *Levit. Cap.* 18. *v.* 23. & 20. *v.* 13. Imo jamjam ante legem Moſaicam ſub ipſis rerum initiis, adeoque ex jure natu-

rali

rali, coitum cum ſex hiſce 1) cum matre ſua, 2) cum uxore patris ſive noverca, 3) cum uxore aliena, 4) cum ſorore ex matre ſua ſive uterina, 5) cum maſculo, 6) cum beſtia, homini fuiſſe interdictum ſcribunt Hebræorum Magiſtri, uti ex Joh. Selden. *de Jur. Nat. & Gent.* & aliis autoribus probat Joh. Georg. Simon *l. a. Cap.* 1. *Theſ.* 3. *p.* 30. qui etiam utriusque Sodomiæ (ſive coitus tam contra naturam ſexus, v. g. maſculi cum maſculo, ſeu feminæ cum femina, quam contra naturam generis, id eſt, cum brutis) leges apud varias gentes differre, modoque mitiores, modo graviores dictari pœnas, in eadem theſi monſtrat. Siquidem nonnulli delinquentes vel puerarii, emaſculatores &c. tantummodo infames per totam vitam cenſebantur, pro aliis non poſtulare, nec teſtes eſſe, nec teſtamentum condere poterant, aliis confiſcatio bonorum & conjugii ſeparatio imponebatur, quidam etiam e patria expellebantur; Porro etiam alii ad exſectionem virilium, vel ad præcipitationem ex turri, vel ad ſuffocationem & defoſſionem ſub terram damnabantur; quidam canibus dilacerandi, vel devorandi, objiciebantur, plerique tamen pœna gladii, forcipum & rotæ, vel ignis hodierno etiam die afficiuntur; quorum delicta & pœnas ex aliquot autoribus, absque tamen ordine, annectere liceat.

§. 26.

Juſtinianum plurimos Sodomitas exſectis virilibus puniviſſe, rogatumque, cur id faceret, annon, ſi ſacrilegium commiſiſſent, manus illis fuiſſent amputandæ? reſpondiſſe ſcribit Joh. Georgius Simon *l. a. p.* 27. Et jure canonico, ſi clerici hoc vitio laborare deprehendebantur, dejiciebantur a clero, vel, ad agendam pœnitentiam, in monaſterium detrudebantur, atque etiam, peracta pœnitentia, ſuſpenſi erant ab ordinis executione; & adeo iterum celebrantes fiebant irregulares tali irregularitate, quæ niſi a ſummo pontifice remitti poterat. Si laici, excommunicationi ſubdebantur, dominiumque perdebant ipſo jure bonorum ſuorum, & a cœtu fidelium penitus fiebant alieni.

Virilium exſectio.

Jure civili puerarii, emaſculatores, inſcenſores, ſevini, ludiique & præciſi voluntarii infames fiebant, nec pro aliis poſtulare, nec teſtes eſſe poterant, imo gladius ultor eos perſequebatur ex L. Julia, quamquam jam olim ex L. Scantinia, ſive Scatinia, hæc pœna capitis indicta fuerat.

§. 27.

Ignis & ſubmerſio in aquam.

De Sodomitarum pœna per ignem & ſuffocationem ſive ſubmerſionem in aquam ſequentem obſervationem his verbis recenſet Johannes Jacobus Saar, *in der Oſt-Indian. Reiſe-Beſchreibung Cap. 9. fol. m. 113. Im Jahr 1652. im Monat Martio iſt ein Dannemarcker, Nahmens Hans Stein, von Coppenhagen bürtig, zum Tode verurtheilet worden, um begangener Sodomiterey willen, die er mit fünff ſchwartzen Jungen eine geraume Zeit getrieben hatte, auch bekannt, daß er vorher ſchon in Italien mit neun jungen Edelleuten aus Engelland ſolche ungeziemende Luſt gepflogen. Seines Alters ware er etliche 40. Jahr, fünff Sprachen kundig: dem Frauen-Volcke ſonſt gram, daß er ſich gantz entrüſtet, wann er einen unter uns mit einer ſchwartzen Frauen nur hat ſchertzen ſehen. Es war aber ſein Urtheil, daß er lebendig verbrannt würde, darein er ſich auch willig gab, iedermann ſegnete, und unſerm Herrn Prædicanten, der ihm die Hoffnung der Seeligkeit wohl einband und gewaltig trœſtete, zur Antwort gab: Er wære froh, daß ſeine Sünden in der Welt wæren offenbahr worden. Denn wenn er darinne geſtorben wære, wüſte er gewiß, daß er wære verdammet worden. Bate darnebſt, daß man die fünff Jungen, die er zu ſolchen Sünden gebracht, und nun umb ſeinet willen auch ſterben müſten, in ſeinem Nahmen umb Vergebung bitten ſolte, vor ihrem Tode, wie ſie es denn auch œffentlich thaten, aber wenn man ihnen von ihrem Tode ſagte, nur lacheten, bis endlich der Trummelſchlæger das Spiel rührete, und das Volck beyſammen war, und obgedachter unſer Prædicant ihnen auf Portugieſiſch zuſprach: Sie ſolten nun gedencken, ihre Sünde GOtt abbitten; Da fiengen ſie erſt an bitterlich zu weinen, und ferner, da ihrer zween und zween rückwærts gebunden,*

jedem

jedem ein Sack mit Steinen an dem Hals gebencket, und bey dem Hafen geführet vvurden, fleiſſig nachzubeten, vvas der Herr Prædicant ihnen auf Portugieſiſch fürbetete, biß ſie in das Meer geſchmiſſen vvurden.

§. 28.

Cum hominibus olim ex ſancito Laji Regis Thebani atque codicis Theodoſiani, item ſanctione criminali Caroli V. & moribus hodiernis Sodomiæ ignis ſupplicium conſtitutum fuit, quod vel vivis, vel ob periculum animæ & deſperationem prius ſtrangulatis ſubeundum eſt, quod ex variis Autoribus dictus Simon *l. a. p. 28.* probat. Ob hoc flagitium magnam monachorum Franciſcanorum partem anno Chriſti 1578. Gandavii in Flandria combuſtam fuiſſe refert Emanuel *von* Meteren *Hiſtor. Belli Belgic. Tom. I. Lib. 8. fol. m. 303.* his verbis: *Zu Brück in Flandern vvard im May ein ſcheüßlich Sodomitiſch Schand-Stück der Franciſcaner oder Minnebrüder offenbahrt durch Beſchuldigung etlicher junger Münche unter ihnen, vvelche ſie zu harte ſtrafften oder capitelten. Dieſe verklagten das Cloſter vvegen Sodomitiſcher Unflætigkeit, darüber vvurden ſie alle gefænglich heraus geführt und unterfragt. Da vvard die Unthat von etlichen ſelbſt bekannt und 18. ſchuldig befunden. Deßgleichen zu Gent, da nach Landes-Gebrauche und Recht, durch die Obrigkeit, und darnach durch das Geiſtliche, und endlich des Ertz-Hertzogs Matthiæ Hoff-Gericht vvider ſie* procedir*et vvard. Darüber die Franciſcaner- und Auguſtiner-Münche zum Tode verurtheilet, und œffentlich zu Gent verbrannt, auch etliche mit Ruthen geſtrichen vvorden.* In oppido Talaverræ combuſtum fuiſſe quendam, qui propriam uxorem contra naturam carnaliter cognoverat, allegat Joann. Georg. Simon *l. a. p. 42.* Idem etiam *Cap. 5. Theſ. 2. p. 96. & 105.* Jure Carolino & Saxonico pœnam ignis diabolicos Sodomitas manere defendit, inquiens, manifeſtum eſt, coitus hoſce Jure communi haberi tales, quos, modo de confeſſione rei, fama publica & aliorum complicum

Pœna ignis.

conſtanti aſſertione (licet non de pactione, quod probe in hoc maleficio notandum, cum diabolo contracta) & concubitu ſatanico conſtet, Franciſc. de Ponzin. *in Tract. de Lam.* Joh. Bodin *in Dæmonoman. Lib. 4. cap. 3.* flamma ignis perſequuntur leges, vid. Conſtit. Carol. V. art. 109. *und man ſoll ſolche Straffe mit dem Feuer thun.* Sic tota die pronunciari ſolet in Foro Electorali Saxonico, uti patet ex præjudiicis apud. Bened. Carpzov. Prax. criminal. part. 1. quæſt. 50. præjud. 13. *Hat* N. *erſtlichen in ſcharffer Frage, und hernach auch in guten bekannt und ausgeſaget, daß ſie von unſerm lieben HErrn GOtt abgefallen, und nun ins dreiſſigſte Jahr mit dem bœſen Feinde, ſo in Mannes Geſtalt zu ihr kommen, Gemeinſchafft gehabt, und unmenſchliche Unzucht getrieben; Da ſie nun auf ſolcher gethanen Bekanntniß vor Gerichte freyvvillig verharren, oder des ſonſten vvie recht übervvieſen vvürde: So mœchte ſie, von vvegen ſolcher mit dem bœſen Feind dem Teuffel gehabten Gemeinſchafft und begangenen und bekannten unmenſchlichen Unzucht mit dem Feuer vom Leben zum Tode geſtrafft vverden.* Virginem religioſam apud Hollandos ex propria peractæ cum dæmone ſpurcitiei confeſſione flammis adjudicatam ſe noviſſe ſcribit Johannes Wierus *Oper. Lib. 3. de Lamiis cap. 20. p. 230.* Secundum Jac. Frid. Ludovici *Doctrin. Pandect. Lib. 48. Tit. 5. §. 20. p. 728.* Sodomia eſt concubitus vel contra naturam ſexus, v. g. maſculi cum maſculo: vel contra naturam generis, id eſt, cum brutis. Juxta Conſt. crim. art. 116. utroque caſu pœna ignis locum habet, aſt jure Saxonico poſteriori caſu ſolum, priori gladius dictatur.

§. 29.

cum brutis. Ignis pœna inprimis illi Sodomiæ ſpeciei dictatur, quæ ab hominibus utriuſque ſexus cum brutis amantibus exercetur, ſcilicet ſi quando vir cum bruto feminei ſexus, aut mulier cum maſculo irrationali libidinem peragunt, vel quando juxta Bened. Carpzov. *Prax. Crim. Part. II. Qv. 76. n. 28. f.* 211. maſculus hoc crimen cum bruto animali committit, vel femina ab anima-

mali ſe cognoſci permittit. Quæ Sodomiæ ſpecies omnium horrendiſſima & nefandiſſima eſt, hinc etiam ſecundum Carpzovii regulam: Homo cum bruto ſe commiſcens & venerea exercens inſimul cum animali debet comburi. Animal autem ſimul cum homine interfici juſſit Deus *Levitic.* 20. *v.* 15. *ſeq.* Qui cum pecore coierit, morte moriatur, pecus quoque cecidatur. Quanquam vero hoc loco nulla ignis fiat mentio, ſeverius tamen lege humana, & quidem in Imperio Romano-Germanico, in hoſce Sodomitas animadvertitur, flammis ſiquidem ultricibus hi vivi exuruntur, inque pulveres rediguntur, juxta ſanctionem Imp. Caroli V. in Ord. crimin. art. 116. *So ein Menſch mit einem Vieh &c. Unkeuſchheit treibet, der hat das Leben verwircket, und man ſoll ihn, der gemeinen Gewohnheit nach, mit dem Feuer vom Leben zum Tode richten.* Quam pœnam ignis aliis etiam in locis uſu receptam eſſe, ex aliquot autoribus confirmat Carpzovius *l. a. f.* 212. Neque mores Saxonici in hac ſpecie Sodomiæ a pœna ſanctionis Carolinæ receſſerunt, ſed crimen hoc in terris etiam Saxonicis concrematione punitur; ubi & hoc uſu receptum, ut ſimul brutum animal, cum quo Sodomia fuit peracta, igne comburatur & in cineres redigatur, quodcunque etiam ſit animal, equa, vacca, canis, aſina &c. & quidem ex ea ratione, ut ne talia pecora hoc flagitio contaminata indignam refricent facti memoriam.

§. 30.

Ejusmodi autem exempla atque ſententiæ varia reperiuntur apud allegatum Carpzovium, qui in Elect. Saxon. Scabinatu quotidie hunc in modum pronunciari ait: *Hat NN. geſtanden und bekannt, daß er mit einer Kuhe, Pferde &c. unmenſchliche, unnatürliche Wercke der fleiſchlichen Unzucht begangen und vollbracht habe &c. Da er nun auf ſeinem gethanen Bekænntniß vor Gerichte freywillig verharren oder deß ſonſten, wie recht, überwieſen würde: So mag er, von wegen ſolcher begangenen und bekannten unmenſchlichen, fleiſchlichen Unzucht, mit dem Feuer* *autoritas.*

vom

vom Leben zum Tode geſtrafft, und das Vieh zugleich mit ihm ver-
cum aſina. *brannt werden.* V.R.W. Exemplum ejusmodi Sodomiæ cum aſina combuſta *vid. ibid. fol.* 213. Sic mulus calcitroſus, cum quo homo coierat, præciſis quatuor pedibus una cum malefico Montispeſſuli flammis miſſus fuit, uti ex Conrad. Rittershuſio refert Joh. Georgius Simon *de Impotent. conjugal. cap.* 4.
cum vacca. *Theſ.* 4. *n.* 4. *p.* 82. Eadem pœna etiam crimini Sodomitico cum vacca commiſſo dictabatur apud Carpzovium *l. a. f.* 213. *&* 14. ibidem etiam adducit exemplum viri, qui in crimine Sodomitico cum vacca deprehenſus a privigna, manifeſtato delicto eam necaverat, ſeveriorem tamen, quam ignis, pœnam ei propterea dictare noluerunt ſcabini, in hunc modum reſpondentes: *So mœchte er von wegen ſolcher mit einer Kuhe begangenen und bekannten unnatürlichen unmenſchlichen Unzucht, und daß er ſeine Stieff-Tochter alſo vorſetzlichen, derowegen, daß ſie dieſe bœſe That denen Gerichts-Schœppen angemeldet, ermordet, mit dem Feuer vom Leben zum Tode geſtrafft, und berührte Kuhe, wofern dieſelbe noch verhanden, zugleich mit verbrannt werden. V.R.W.* An gemellorum, quos forma humana a vacca natos atque cum ipſa rogo traditos refert Johannes Rhodius *Obſerv. Med. Cent. III. Obſ.* 58. *p.* 152. partus judicio tam præcipiti recte igni fuiſſet expiatus, a Jurisconſultis Collegii Baſilienſis anno 1618. menſe Majo fuit quæſitum. Mirandum etiam, quod mulier iſta Luſitana, propter commiſſum crimen, uti ſupra diximus, in inſulam quandam deportata, atque ab omnibus hominibus remota ex ſimio, in cujus poteſtate erat, duorum liberorum mater facta, demumque, Deo ita dirigente, navi ibidem appulſa in Luſitaniam iterum revecta a rege Ulyſſipone ignibus addicta fuerit; a quibus tamen quorundam precibus liberata lethum cum clauſtro perpetuo commutavit. vid. Joh. Phil. Burg-
cum equa. grav. *Jatric. Omin. Lethique curioſ. Cap.* 3. *p.* 43. *ſeq.* Eadem pœna etiam in coitu ſodomitico cum equabus eſt expectanda ſecundum ſententiam ſcabinorum Lipſienſium in hunc modum

dum

dum reſpondentium: *Hat* H. P. *geſtanden und bekannt, daß er nicht allein mit ſeinen eigenen, ſondern auch andern ſeiner Nachbarn und Fuhr-Leute Mutter-Pferden oder Stutten, das unmenſcliche Werck der fleiſchlichen Unzucht, innerhalb drey Jahren offt und vielmahls begangen und vollbracht &c. Da er nun auf ſeinem gethanen Bekænntniß vor Gericht freywillig verharren, oder des ſonſten wie recht überwieſen würde; So mœchte er von wegen ſolcher begangenen und bekannten, unmenſchlichen, fleiſchlichen Unzucht, mit dem Feuer vom Leben zum Tode geſtrafft, und zuſammt denen Mutter-Pferden oder Stutten, damit er daſſelbe unmenſchliche Werck begangen, ſo viel derer zu bekommen, verbrannt werden. V. R. W.* Item: *ſo mœchte* G. G. *von wegen ſeiner begangenen und bekannten Mißhandlung und Verbrechen, daß er nehmlichen mit unterſchiedenen wilden Pferden unnatürlicher, unmenſchlicher und viehiſcher Weiſe ſich vermiſchet, mit dem Feuer vom Leben zum Tode geſtrafft, und zuſammt den wilden Pferden, ſo viel derſelben nochmahls vorhanden, verbrannt werden. V. R. W.* 1618.

§. 31.

Quandoque tamen ejusmodi pœna vel propter ætatem minorem, vel propter inceptum tantum, non autem conſummatum actum ſodomiticum minui ac mitigari ſolet. Niſi enim conatus ad actum proximum pervenerit, loco ignis gladii pœnam adjudicarunt Scabini Jenenſes Anno 1613. teſtante Petro Theodorico in Judic. Crimin. Pract. in verbis: *Hat* N. *in der ſcharffen Frage geſtanden und bekannt, daß er vor ungefehr* 12. *Jahren damahls er* 17. *Jahr alt geweſen, ſich mit einem andern ſeiner Geſpanen voll geſoffen, hernacher in die Pferd-Stallung, darinnen auch ein jung Kalb geſtanden, kommen, ſich über daſſelbe hergemacht, Sodomitiſche Unzucht mit ihme getrieben, er hætte aber ſolches, weil ihme das Kalb zwey oder dreymahl entwiſchet, ſein* Pudimentum ſ. h. *nicht gar hinein, noch das Werck allerdings vollbringen kœnnen, doch ſey ihme der Saamen entgangen, ob er aber ins Kalb kommen,* *pœnæ mitigatio.*

kœnnte er bey ſeinem Gewiſſen nicht ſagen. Da nun mehr-berühr-te Gefangener auf ſolchem ſeinem Bekænntniß verharret, ſo wird er umb ſolcher getriebener Sodomie willen, Kayſerlichen Rechten nach mit dem Schwerdte vom Leben zum Tode gerichtet. v. J. G. Simon l. a. p. 83. Aliud exemplum adducit Carpzovius l. a. f. 215. *Obwohl der verhaffte C. Z. bekannt und geſtanden, daß er ſich vor zwey Jahren an einem Sonntage mit ſeines Brudern ſchwar-tzem Mutter-Pferde im Stalle fleiſchlichen vermiſcht, indem er hin-ter das Pferd auf die Schwelle getreten, und mit demſelben zuge-halten: Dieweil er aber dennoch danehen ausgeſaget, daß er das Werck nicht vollbracht, ſondern von* N. *welcher darzu kommen, darüber verſtœret worden, ſolches auch im Vorſtellen des Scharff-richters erhalten: Als hat auch die ordentliche Todes-Straffe, ſo ſonſt auf die Sodomitiſche Verbrechung und Miſſethat, vermœge der Rechte geordnet, geſtalten Sachen nach, nicht ſtatt. Es wird aber gleichwohl der gefangene* N. *deßwegen œffentlich zur Staupe geſchlagen und des Landes ewig verwieſen. V. R. W.* 1624. Aliud mitioris pœnæ exemplum communicat Johannes Henricus Bergerus *in Reſpons* 149. *fol.* 243. cujus argumentum eſt: Regulariter in crimine Sodomiæ reus, ſi quidem delictum fasſus ſit, igne punitur. *Hat* C. G. *als er Articuls-Weiſe vernommen wor-den, daß er ſein mænnliches Glied hinten in eine Stutte geſtecket, und dahin ſeinen Saamen ſpringen laſſen, alſo mit derſelben Sodo-miterey verübet, in Güte bekannt und geſtanden. Würde nun* H. M. C. *gethane Auſſage, welche zu ſolchem Ende ihm nochmahls deut-licher vorzuleſen, vermittelſt Eydes beſtærcket, immaſſen zufœr-derſt zu beſchehen, ſo iſt ermeldter* Inquiſit, *daferne er vor œffent-lich gehegtem peinlichen Hals-Gerichte deſſen nochmahls geſtændig, ſolcher bekannten und geſtandenen unnatürlichen, unmenſchlichen Vermiſchung halber, geſtalten Sachen nach, mit dem Schwerdt vom Leben zum Tode zu beſtraffen, ingleichen ſodann deſſen Cœrper nebſt obberührter Stutte zu verbrennen. Es wird aber nichts deſtoweni-ger* Inquiſit *vor Vollſtreckung der erkannten Lebens-Straffe mit ei-*

ner

ner Defenſion *billig gehœret, auch wenn er zu dem Behuff Armuths halber einen* Advocaten *zu halten nicht vermag, dergleichen ihme* ex officio *zugeordnet. V. R. W.* Quodſi tamen de corpore delicti ſatis non conſtet, quamvis confeſſio rei adſit, ultimum ſupplicium non dictitatur, ſed tantummodo fuſtigatio cum perpetua relegatione: quo caſu nec beſtia eſt interficienda. *Daraus ſo viel zu befinden, daß ermeldter* C. H. *zwar geſtalten Sachen nach, und in Anſehung derer hierbey einlauffenden ſonderbahren Umſtænden, auch mit der ihme zuerkannten Straffe des Schwerdts nicht unbillig zu verſchonen, nichts deſto weniger aber mit Staupen-Schlægen des Landes ewig zu verweiſen. V. R. W.* Rationes decidendi: *Obwohl wir anfænglich unſere Erkænntniß auf die Lebens-Straffe gerichtet, hiernechſt es das Anſehen gewinnen will, daß, da wir ohnediß von der ordentlichen Straffe des Feuers abgewichen, und auf das Schwerdt geſprochen, um ſo viel deſtoweniger hinwieder davon abzugehen. Dennoch aber und dieweil das* Crimen Sodomiæ *alſo beſchaffen, daß des* Inquiſi*tens Bekænntnüß zu Beſtærckung des* Corporis delicti *nicht zulænglich,* Carpzov. Pract. crim. quæſt. 76. n. 49. *Hiernechſt die von Hanſen Mart. Clawiſſen* f. 10. *gethane, auch unſerm erſten Urtheil gemæß* fol. 15. ſeq. *eydlich beſtærckte Auſſage disfalls vor ein gnugſames* Adminiculum, *ſo ſonſt nach* Carpzovii doctrin. dict. quæſt. 76. n. 52. in fin. & 53. *erfordert wird, füglich nicht gehalten werden mag, in mehrer Erwegung, daß an einem Theile ermeldter Clavviß Inhalts der* fol. 33. b. *befindlichen* Regiſtratur *das* 20. *Jahr ſeines Alters noch nicht erreichet, der aber vermœge bekannter Kayſerlichen Rechte* in L. 20. de Teſtibus in cauſis criminalibus *ordentlich* pro teſte habili *nicht zu achten, andern Theils die von ihme angezeigten Umſtænde, nach Anleitung der geführten* Defenſion fol. 18. *zweiffelhafftig, geſtalt die Erfahrung bezeuget, daß unterſchiedene* Inquiſiten in crimine Sodomiæ *ſich zu der* Conſummation *bekannt, ungeachtet ſolche aus trifftigen Urſachen von bewæhrten* Mediciniſ*chen* Facultæ*ten vor unmœglich gehalten worden; Bey welcher Bewandniß in Erkænntniß der Lebens-Straffe de-*

ſto mehrere Behutſamkeit zu gebrauchen, und in dem Fall, da nebenſt dem Geſtændniß ein gnugſames Adminiculum *nicht vorhanden, dergleichen Verbrechere mehr der Gœttlichen Rache zu überlaſſen, als aus einem gefaſten menſchlichen Wahn mit der Lebens-Straffe zu übereilen. Worzu kommt, daß* Inquiſitens *Alter und Wohlverhalten, auch die von ihme angezeigete Begebenheit von dem ſchwarzen Manne, ingleichen die Beſchaffenheit der Zeit und des Orts, wann und wo das geringſte Verbrechen begangen ſeyn ſoll, nicht gæntzlich auſſer Augen zu ſetzen. Hierüber daß auch in gegenvværtigem Fall das* Attentatum *keinesvvegs mit der Lebens-Straffe zu belegen, von* Carpzovio dict. quæſt. 75. n. 58. ſeq. *vvider etliche Rechts-Lehrer mit ſtattlichen Gründen erhærtet. Endlich daß disfalls entſtandene Aergerniß durch die dem erkannten Staupen-Schlag angehenckte evvige Landes-Vervveiſung gnüglich gehoben vvird: Wie denn von uns in dem erſten Urthel, daß* Inquiſit *vor* Execution *der daſelbſt geſetzten Straffe des Schvverdts* ex officio *mit einer* Defenſion *zuhœren, vvohl bedæchtig Ervvæhnung geſchehen, alſo daß demſelben zu Abvvendung angeregter Straffe eines und das andere ferner zu ſtatten kommen mœchte, allbereit angemercket vvorden. So haben vvir nicht unbillig in verſammleten beyden* Collegiis mitiora vota *gefaſſet, ſovvohl in übrigen dafür gehalten, daß geſtalten Sachen nach, und da* Inquiſit *zur Lebens-Straffe nicht gezogen vvird, ebenmæſſig mit der Stutte,* ſecundum Carpzovium ibidem n. 62. *nichts fürzunehmen auch dem Eigenthums-Herrn, ob er ſelbige zu behalten, oder zu veræuſſern gemeynet, lediglich anheimzuſtellen.*

§. 32.

pœna gladii. Coitus contra naturam ſexus ſecundum Bened. Carpzov. *Pract. Crimin. Part. II. Qu. 76. n. 19. ſeq. fol.* 211. puniendi ratio in terris Saxonicis ſeverior non eſt, quam ut rei Sodomitici capite plectantur. Etſi enim *Ordin. Crimin. Art.* 116. Sodomitas indifferenter concremari velit: quoad hanc tamen ſpeciem Sodomiæ, ab hominibus invicem peractæ, a Sanctione illa Carolina receſſerunt mores Saxonici in Electorali Saxoniæ Scabina-

tu, jam pridem in pronunciando recepti; & quidem primo, quia Sodomia cum brutis animantibus exercita longe atrocior & deteſtabilior eſt ea, quæ cum hominibus præpoſtere & contra naturam peragitur. Secundo quia *ex Conſtit. Elect. 25. part. IV.* pœna gladii determinatur ei, qui cum mortua muliere rem habet. Cujus conſtitutionis ratio alia non eſt, quam quod feminam mortuam cognoſcens Sodomiam committat, ut tradit *Auth. Conſt. Sax. T. 2. p. 4. qu. 68. in fin.* Cum quævis agitatio veneris, nec ſcopum nec modum veneris naturalis ſervans capiat Sodomiam, Jodoc. Damh. *in pr. rer. crim. cap. 96. n. 31.* Unde ſequitur ex rationis identitate, Sodomiam cum vivis hominibus commiſſam ſeveriori aliquo ſupplicio, quam gladii pœna, in terris Saxonicis coercendam non eſſe. Uti etiam Scabini Sodomitæ, qui aliquot pueris abuſus eſt, gladii pœnam dictaverunt, ad conſultationem Joh. a Weitzigk: *Hat der gefangene* E. L. *welchen ihr euren Kindern vor zweyen Jahren zu einen* Præceptorem *verordnet, in gutem bekannt und geſtanden, daß er mit dreyen eurer Kinder, Jungen von zehen und eilff Jahren, wie denn auch mit einem andern von* 14. *Jahren, unchriſtliche und unnatürliche Unzucht zu etlichen mahlen getrieben, inmaſſen denn auch ſolches aus dreyer Knaben Bericht ſich alſo befunden &c. Da er nun auf dieſem ſeinem gethanen Bekænntniß vor Gerichte freywillig verharren, oder des ſonſten, wie recht, überwieſen würde, ſo mœchte er vvegen ſolcher bekannten und geſtandenen Unzucht mit dem Schvverdt vom Leben zum Tode geſtrafft vverden. V. R. W.* anno 1595. In caſu ſimili ita pronunciarunt Domino a Schleinitz: *Obgleich der gefangene* S. E. *in ſcharffer Frage, damit er, vermœge des zu Wittenberg geſprochenen Urthels angegriffen vvorden, erhalten, daß er mit den dreyen in ſeiner Ubrgicht benannten Knaben, das Werck der unnatürlichen Unzucht, auf die in bemeldetem Wittenbergiſchen Urthel angedeute Maſſe nicht vorgenommen; Dievveil er aber dennoch bekannt und geſtanden, daß er berührte Unzucht, auf die Art und Weiſe, davon in ſeiner Ubrgicht*

Meldung geſchicht, zu Werck gerichtet und vollbracht, und hierüber ferner bekannt, daß er mit andern Knaben vor der Zeit gleicher Geſtalt umgegangen &c. So mag er dervvegen, vvofern er auf ſolchem ſeinem gethanen Bekäntniß vor Gerichte freyvvillig verharren, oder des ſonſten, vvie recht, übervvieſen vvürde, nach Gelegenheit dieſes Falls, mit dem Schvverdt vom Leben zum Tode geſtrafft vverden. V. R. W.

§. 33.

In præpoſtera venere. Pœna gladii quoque coercetur coitus præpoſterus, vel cum femina contra naturam habitus. Nec refert, an quis cum aliena muliere, an vero cum propria uxore Sodomiam exercuerit. Nam & is, qui præpoſtera venere uxorem ſuam cognoſcit, juxta alleg. Carpzov. *d. l.* gladii pœnam incurrit: gravius ſiquidem committitur delictum cum uxore, quam cum alia femina. Ex qua ratione abſque dubio etiam alii ignem adhiberi volunt ſæpiusque ita pronunciant, uti etiam in exemplo viri in oppido Talaverræ ideo combuſti, quod propriam uxorem contra naturam carnaliter cognoverat, paulo ante vidimus. Econtra vero juxta Carpz. *l. a.* Scabini Saxonici cuidam marito cum conjuge propria venerem præpoſteram exercenti, ad requiſitionem Senatus Dresdenſis anno 1545. gladii pœnam dictaverunt. Pari etiam pœna plectendum eſſe maritum exercentem venerem in os uxoris, nec non ipſam uxorem, maritum admittentem & ore ſemen exſugentem, pronunciarunt iidem Scabini 1562. Circa quam ſententiam ſequentia addit Johannes Georgius Simon *de Impotent. conjugal. Cap. 2. Theſ. 4. n. 28. p. 47.* Quodſi vero nulla ſeminis emiſſio facta fuerit, ſed ſolummodo in conatus aut turpis luſus terminis partes permanſerint, non improbamus mitius illudque arbitrarium judicis officium. Quamvis interim in foro conſcientiæ moraliter peccent ejusmodi libidinoſi, bene monente Fagundez hiſce ſequentibus verbis: ſi membrum virile in os immittatur, committi ſine dubio peccatum mortiferum videtur, cum ſit inaudita ſpecies luxuriæ, & plus quam contra

tra naturam ſic dicere fas eſt. Deinde quia eſt proximum periculum conſummandi præpoſterum & innaturalem coitum in ore, quare non veniales tantum hujusmodi tactus eſſe exiſtimo inter conjuges matrimonio copulatos, ſed mortales omnino. Horret enim natura ſimiles libidinis modos etiam inter conjuges, cum nec inter animantes fiant. Diſſentiunt ab hac noſtra, ut remur, pietati æque ac caſtitati convenientiſſima doctrina Zanardus Dominicanus & Jeſuita Filliuccius, ſpurcities haſce nil aliud, niſi (ignoſcant nobis pudicæ aures) oſcula pudendorum eſſe, minimeque peccata lethalia inter conjuges nominanda, præ ſe ferentes. Putat autem Anton. Dian. hoc non eſſe ſimplex oſculum pudendorum, ſed eſſe inceptionem alterius copulæ innaturalis, quam veteres irruminationem vocabant, a ruma, id eſt, a mamma ducto vocabulo, cum mentula, tanquam mammilla, alterius ori inferatur. At ideo ego, pergit Simon *pag.* 38. opinor, etiam ſecluſo pollutionis periculo, virum immittendo membrum in os conjugis, mortaliter peccare.

§. 34.

Porro gladii pœna etiam illis maribus ibidem determinatur, qui cum mortuis mulieribus rem habent, & quidem juxta *Conſtit. Elect. 25. part. 4. Daß die, ſo mit verſtorbenen Weibes-Perſonen zu thun haben, da ſie gleich noch nicht begraben, vielmehr wenn ſie zur Erden beſtätiget, und zu ſolchem Fürnehmen wieder aufgegraben werden, ſolcher unmenſchlichen Mißhandlung wegen, mit dem Schwerdt vom Leben zum Tode geſtrafft werden ſollen.* Cujus conſtitutionis ratio, ut paulo ante ex Carpzovio adduximus, alia non eſt, quam quod feminam mortuam cognoſcens Sodomiam committat. Nonnulli vero hoc flagitium in parte nocente pœna ſaltem pollutionis (v. g. carceris, relegationis aut æris) coercendum, nec non ad quod peccatum luxuriæ talis copula reducenda ſit? inquirendum eſſe ſtatuunt, eamque non aliam malitiam in genere luxuriæ includere putant, quam mali-

In coitu cum mortuis.

malitiam pollutionis, ſicuti qui concubitum aliquando iniret cum pictura quadam vel ſtatua, ut tenet Sanchez & alii; & ideo recte Tamburin. dixit, inanimatum inſtrumentum, quo quis ſe polluat, non facere mutationem ſpeciei. Sed quando quis copulam habet cum muliere mortua, aliud non facit, niſi cum inanimato inſtrumento pollutionem: ergo talis copula non inducit mutationem ſpeciei; confirmatur hæc ſententia & Sanchez, concubitum cum femina mortua idem eſſe ac concubitum cum ejus ſtatua; ſed concubitus cum ſtatua non includit, niſi malitiam mollitiei; ergo idem dicendum erit de concubitu cum femina mortua. Concludendum eſt igitur, copulam cum femina mortua non inducere vitium beſtialitatis, nec fornicationis, ſed tantum continere malitiam pollutionis, facto adulterio, illius corporis mortui; quod cum ſit inſtrumentum inanimatum, ac ſi eſſet ſtatua ipſius mulieris, non poteſt conſtituere diverſam ſpeciem malitiæ ab ipſa pollutione. Nihilominus tamen allegatus Simon *l. a. p. 44.* pœnam mortis in foro politico imponendam cenſet, cum venus mutetur in alteram formam, amorque quæratur, ubi non videtur. Præterea etiam doctiores Rabbini expreſſe haſce pollutiones peccatis Sodomitarum annumerant. Et hoc non tantum ſecundum jus civile procedit, ſed etiam alio & præſertim Saxonico, jure gladio (imo concurrentibus circumſtantiis factum aggravantibus, rota ac prehenſione cum forcipibus candentibus,) puniuntur. Quo loco plures autores allegati ſunt. Item ſecundum Gerhard. Feltmann. *de Cadavere inſpiciend. Cap. 33. pag. m. 135. ſeq.* animæ amiſſione puniendus, qui cum mortua muliere coit; & ſi de iſto ſcelere nefando hac ratione conſtiterit, atque poſtea quoque liquido adpareat, quis reus ſit, tunc hic gladii pœna afficiendus: *l. 31. C. ad L. Jul. de adult.* uti reſponderunt JCti Saxones *Conſult. Conſtit. Saxon. Tom. II. Part. IV. de Crimin. Quæſt. 68. per tot.*

§. 35.

§. 35.

Quandoque etiam hujusmodi cum muliere defuncta vel occiſa exerciti coitus Sodomitici pœna ſunt forcipes atque rota, ſiquidem ſecundum modo allegatum Feltmannum tale flagitium patratum fuerat a milite, qui poſt miſſionem cum malefico in agro Zutphanienſi commorante, latrocinii ſocietatem contraxerat. Primæ prædæ ceſſerat famula, quam, cum in ſaltu Druſiburgenſi occidiſſent, tyro ſicarius ſuæ impuritati ſubjecerat. Sed ambo paulo poſt laciniis prehenſi, veteranus latro forcipibus candentibus diſcerptus oſſique fragium vivus paſſus, ejus ſocius autem propter impuritatem, non etiam gladio, ſed poſtquam & membra contuſa ei eſſent, æque ac ſenex ſecuri capite mulctatus & uterque in rota ſublatus cum baculis cædum ab ipſis patratarum titulis, quorum latro ſenex plures habebat, quam rota ambitu capiebat, licet viginti & amplius numerarentur. Crudelisſimum etiam exemplum ex Andr. Hohndorf *Theatr. hiſtor.* refert Joh. Georg. Simon *de Impotent. conjug. Cap. 2. Theſ. 4. p. 45.* de homine nefario in pago *Frauenſtein* ſub imperio Epiſcopi Moguntini, qui, cum dominica vocem jucunditatis ingens turba a meridie ſub tilia conveniret, puellam, quæ quintum annum nondum compleverat, verborum blanditiis usque in ſtabulum templo vicinum ſeduxit, &, quod dictu horrendum eſt, per vim ſtuprare conatur. Cum autem libidini ſuæ in tenerrima puella ſatisfacere non poſſet, ei jugulum ſtricto cultro incidit, præterea quinque mortiferis ictibus corpus violat. Exhauſtum deinde ſanguine corpus diſpandit, pudendaque cultro diſſecta dilatat, eoque modo inhumanam prorſus & diabolicam libidinem cum exanimato mixtus corpore, adimplet; deinde gladio ſtricto in quindecim fruſta membratim corpus diſſecat, ut nullum membrum integrum agnoſci poſſet. Cumque in colligendis membris occupatus eſſet, intervenit unus ex pagi incolis, qui motus atrocitate rei, ſceleratum hominem verberibus affectum & comprehenſum magiſtratui tradit.

Forcipes & rota.

Fff Vin-

Vinctus deinde Moguntiam deductus eſt, ibique forcipibus ignitis toto diſcerptus corpore rotæ tormentali innexus eſt.

§. 36.

Objectio canibus.

Crudele quoque Sodomitarum pœnæ genus eſt, quod ex Ludov. Gottfried *Hiſtor. Antipod.* recenſet modo citatus Simon *Cap. 2. Th. 3. p. 29.* videlicet Vaſchus Nunnes Valboa, Præfectus Hiſpanicus apud Indos, Sodomitas, inter quos & fratrem regis canibus dilacerandos objecit, probantibus hoc ſupplicium ipſis Indis, aliosque ad eandem mortem conquirentibus. Quamvis hic multum, quod facti eſt, ſuccurrat. Quis enim Valboæ potentiam dederat in perſonam regiam, nemini, niſi Deo & fratri regi ſubjectam, qui reſpectus tamen per hoc, licet horrendum, peccatum non tollitur. Turcæ Sodomitas vel e turribus præaltis ſolebant dare præcipites, vivos ferro adunco per latera oblique adacto in patibulo ſuſpendere, ubi per duos & plures ſæpius dies in cruciatu ſummo moribundi ſuperexiſtebant, uti idem Simon *l. a. p. 31. ex Sal. Schweiger. Itinerar.* adducit. Item anno 1461. in Scotiæ urbe quadam ancilla herilem filiam in eodem lecto cubantem gravidam fecit, accuſataque facti apud judices, viva ſub terram defoſſa facie averſa periit. De indiciis & pœnis Sodomiæ vid. Chriſtoph. Cruſ. *de Tortur. Part. II. Cap. 18. ſeq. f. 74. ſeqq.*

§. 37.

Sodomiæ impunitæ exemplum.

Aliquando tamen enormiſſima Sodomiæ exempla relinquuntur impunita, prouti ex Harsdœrffero idem Simon *pag. 36.* commemorat: *Zu meiner Zeit*, inquit *Harſsdœrffer*, *hat der Lœwenhüter zu Florentz mit einem Knaben von ſieben Jahren Sodomiterey getrieben, und das Kind ſo zugerichtet, daſs es Tag und Nacht geſchrien. Was thut der Bœſewicht? Er nimmt den unſchuldigen Knaben, und wirfft ihn denen Lœwen vor, in Hoffnung, daſs er ſolcher Geſtalt ſein Unrecht verbergen wolle. Die Lœwen aber begehren den Knaben nicht anzurühren, und weil inzwiſchen andere, die Lœwen zu ſehen, kommen, iſt dieſe mœrderliche That offenbahr*

wor-

worden. Als nun ſolches vor den Hertzog kommen, und er befragt, ob dergleichen Ubel mehr geſchehe; hat man ihm ein gantzes Regiſter ſolcher Geſellen überreichet, und weil der Biſchoff gebethen, daß man ſie vor Gerichte bringen, und verbrennen ſolte, hat der Hertzog das Papier an dem Lichte verbrennet, und den Biſchoff wieder abgefertiget.

§. 38.

De mulierum cum Baal-Peor olim apud gentiles exercita Sodomia ut pauca referam; fuit olim ethnicis Baal-Peor ſeu deus Priapus, cui in forma penis divinos offerebant honores, aſinumque, dubio procul ob nimiam mentulam, ſacrum ipſi judicabant, uti ex hiſtoria *Acad. Reg. Inſcription. Tom. I.* referunt Eruditi Lipſienſes *Act. An. 1718. Menſ. Auguſt. p. 341.* ubi diſputatur de origine fabulæ, qua ethnici Judæis tribuerunt cultum aſini. Cui criminationi, ſecundum Morini conjecturas, Judæi occaſionem dederunt tum cultu Baal-Peoris, ſive Priapi, cui deo ſacrum fuiſſe aſinum conſtat; tum anilibus aliquot fabulis, quas circumferunt de abjectisſimo hoc animali &c. Apud Romanos in nuptiis adhibebatur Priapus nimis maſculus, ſuper cujus immaniſſimum & turpiſſimum faſcinium ſedere nupta jubebatur nova, more honeſtiſſimo matronarum & religioſisſimo, uti ex Auguſtino *de Civit. Dei Lib. 6. Cap. 9.* recenſet Guerner. Rolfincius *de Part. genital. Part. I. Cap. 43. p. 85.* ubi pergit, eundem ritum locupletare volentes, cubiculo, quo maritus cum ſponſa concumbere debebat novus, appendebant piſtillum. In oppido Lavinio unus Libero ſeu Baccho totus menſis tribuebatur, cujus diebus omnes verbis flagitioſisſimis utebantur, donec illud unum membrum per forum transvectum eſſet, atque in loco ſuo quieſceret: Cui membro inhoneſto matrem familias honeſtisſimam palam coronam neceſſe erat imponere, uti ex eodem Auguſtino allegat Johannes Riolanus *Anthropogr. Lib. 2. Cap. 30. fol. m. 155.* vid. etiam Lud. Cælii Rhodig. *Lection. antiqu. Lib. 4. Cap. 6. fol. 123.* quo loco ita pergit: ſic Deus is propitiabatur

Cum Baal-Peor.

tur ad ſeminum eventus, ſic ab agris faſcinatio averruncatur. Item Romanas mulieres velatas, togis prætextis peni ſeu Priapo ſacrificare ſolitas fuiſſe, aſino immolato, ait Riolanus *l. a.* Sic etiam Johannes Georg. Simon *de Impotent. Conjug. Cap. 2. Theſ. 5. p. 57.* ex aliis autoribus ſequentia adducit: De mulierum Sodomia cum Baal-Peor vid. Andr. Beyer *in not. ad Selden. de Diis Syris ad Cap. 5. Synt. 1.* Mallem, inquit ille, ſic dictum idolum &c. quod ποσθὼν ſive Tuttunus pertundendæ virginitatis, clauſtrique virginalis crederetur, & fortaſſe nec prius futurum proſtibulum frontem collimaret, niſi ſceleſto Tuttuno vel ſemetipſum initiaſſet, vel initiandum obtruſiſſet; quale quid non plane alienum a priſcis ſeculis eſt, quibus juxta Auguſt. *Lib. 4.* Romæ Mutini aut Priapi faſcino inequitabant matronæ novæ nuptæ, ut prior ille deus pudicitiam delibaſſe videretur, vid. Gall. ad Lact. *pag. 110. ſeqq.* nec hodierno a nonnullis Indis, qui ejusmodi ποσθῶνι, occidendæ virginitati deſtinato, ſponſas prima nocte conſecrant; quod, ſi cum ſacro textu conferatur, non adeo diſtare dixeris: videntur enim cum meretricibus ab idolis initiatis, vel coram concubuiſſe, vel poſtea ſecum, ut Simri, abduxiſſe, ſic docti morem illius cultus. Accedit, quod ſcriptura, hunc cultum abominans, utatur voce copulam conjugalem ſignificante, & mirum non ſit, ob τριβαδικὴν ἀσέλγιαν & tribadum inſanam libidinem, deinde ſecutam doctamque (nam ὀλίσβῳ vel parvo Peor, vel Priapulo, ut idem dicam, ſeſe τρίβουσαι exercuiſſe credibile eſt) horrendis iris exarſiſſe, meritoque iniquitatem Peoris omnium flagitiorum flagitioſiſſimum habuiſſe *Joſ. 22. v. 17.* Hucusque Beyer. Fuit etiam olim inter ethnicos Priapi idolum majus, quod Mutinus vel Faſcinus dictum fuit, huic nubentes virgines inſidere, vel alias illicitas actiones cum eodem exercere tenebantur, uti ex Joh. Bapt. Caſal. refert Jacobus *Wolff de Amulet. Cap. 1. Sect. 1. pag. 9.* Mulieres Ægyptiacas ſteriles ſpe ingravidationis impetrandæ ſacerdotum ſuorum priapum oſculari, refert Thevenot

Itinerar. Part. I. Lib. 2. cap. 74. p. m. 349. Omnes religioſorum in India ordines ſanctitatem affectant, precarium exercentes quæſtum, dumque cineribus ſe aſpergunt; vaccinoque ſtercore corpus jam ſordidiſſimum uberius inquinant, tam peſtilentis putoris effluvia exhalant, ut præ illis cloacæ omnes latrinæque balſamum ſpirare videantur. Stupenda hac ſorditie apud ſtultiſſimam plebeculam venerationem ſanctimoniæ & venantur & revera accipiunt. Mulierculæ imprimis ſordidos hos myſtas omni dignantur honore, uſque adeo, ut eorum membra, mephitim certe exhalantia, & quæ pudor nominare prohibet, & oſculentur & alia committantur turpiſſima dictu, uti ex Neuhofio recenſet Michael Frid. Lochnerus in deſcript. animalculi Mungos dicti, vid. Ephemerid. Acad. Nat. Cur. *Cent. III. & IV. App. p.* 69. 70. juxta Walther Schulzens *Oſt-Indianiſche Reiſe cap. 15. fol. m. 161. ehren die Einwohner des Kœnigreichs* Canonor *den* Priapum *als einen Gott, und richten ſein Bildniß œffentlich in ihren* Pagoden *auf, wohin ſich die angehende Ehe-Leute verfügen müſſen. Durch dieſen* Priapum *wird denen Jungfern, auf eine ſchmertzliche Art und mit Gewalt, und mit Hülffe derer gegenwærtigen Freunde und Verwandten, ihre Jungferſchafft genommen, worüber ſich alsdenn der Bræutigam erfreuet, daß der ſchændliche und verfluchte Abgott ihr dieſe Ehre bewieſen, in der Hoffnung, er werde nun einen beſſern Ehe-Segen erhalten.*

§. 39.

Ad Sodomiam nonnulli etiam referunt peccatum Onaniticum, cujus mentionem facit ſacra ſcriptura *Geneſ. cap.* 38. *v.* 8. *ſeq.* Dixit Jehudah ad Onan, ingredere ad uxorem fratris tui, & duc eam in uxorem (juxta Seb. Schmidium, & leviratum præſta illi) ut ſuſcites ſemen fratri tuo. Sciens vero Onan, quod non ſuum eſſet ſemen, ingreſſus ad uxorem fratris ſui, *peccatum Onaniticum*

 dis-

diſperdidit illud in terram, ne daret ſemen fratri ſuo. De hoc facinore Onan ita ſcribit Martinus Lutherus in hoc caput: *Das muß ein muthwilliger verzweiffelter Bube ſeyn geweſen: Denn das iſt eine ſchændliche Sünde, noch viel græulicher, denn eine Blutſchande und Ehebruch. Wir heiſſens eine Sünde der Weichlinge, ja auch wohl eine Sodomitiſche Sünde, denn er hat ſich zu ihr geleget, ſie beſchlaffen, und da es zum Saamen kommt, hat er denſelben auf die Erde geſchüttet und verderbet, damit das Weib nicht ſchwanger würde. Warlich zu der Zeit ſolte man ja der Ordnung der Natur, ſo von GOtt zur Geburt geſchaffen, folgen. Darum iſts, ſage ich, eine ſchændliche Sünde geweſt, den Saamen locken, und das Weib damit neyden, und ſie bald im Augenblick deſſen berauben. Er iſt von bœſem Neid und Abgunſt gar entbrannt geweſt, darum hat er nicht leiden wollen, daß man ihn zwingen ſolte, dieſe unleidliche Dienſtbarkeit zu tragen; Derohalben iſt er billig von GOtt getœdtet worden. Summa, es iſt eine bœſe That, darum hat ihn GOtt geſtrafft.* Quid de hoc peccato, quo maritus ex diffidentia erga Deum, ne liberorum copia oneretur, uxori debitam benevolentiam denegat, ac Onanis exemplo ſemen genitale corrumpit, ſtatuendum ſit, hoc judicium exhibet Facultas Theologica Jenenſis apud Georgium Dedekennium *Theſaur. Conſil. & Deciſ. edition. de anno* 1623. *Vol. III. Lib.* 8. *Sect.* 10. *n.* 8. *fol.m.* 531. Statuimus, ejusmodi maritum graviſſime peccare, 1) contra primum præceptum, quia derogat Deo laudem omnipotentiæ, dum ſtatuit, quod non poſſit liberos, qui ipſius donum ſunt, *Pſ.* 127. *v.* 4. alere ac ſuſtentare; laudem ſapientiæ, quod ignoret, qui ex quibus parentibus naſcendi ſunt liberi; laudem paternæ providentiæ, quod operi manuum ſuarum proſpicere nolit. 2) Contra quartum præceptum: quia conjugale debitum uxori denegat, contra regulam Apoſtolicam 1. *Corinth.* 6. *v.* 3. ac rationem ibidem additam, vir non habet corporis ſui poteſtatem. 3) Contra quintum præceptum, quia, quantum in ſe

eſt

